Jahrbücher für classische Philologie

JAHRBÜCHER

FÜR

CLASSISCHE PHILOLOGIE.

Herausgegeben

von

Dr. Alfred Fleckeisen,

Professor in Dresden.

Neunzehnter Supplementband.

Erstes Heft.

Leipzig,

Druck und Verlag von B. G. Teubner.

1892.

JAHRBÜCHER

für

classische Philologie.


Herausgegeben

von

Alfred Fleckeisen.



NEUNZEHNTER SUPPLEMENTBAND.



Leipzig, 1893.
Druck und Verlag von B. G. Teubner.

Inhaltsverzeichnis.

	Seite
1. Studia Gelliana et Pliniana scripsit *J. W. Beck*	1— 55
2. Xenophon-Studien. Von *Ernst Richter*	57—155
3. Valerii Probi de nomine libellum Plinii Secundi doctrinam continere demonstratur. scripsit *Oscar Froehde*	157—203
4. Der saturnische Vers in der römischen Kunstdichtung. Von *Alexander Reichardt*	205—253
5. De Octaviae fabula scripsit *Gustavus Nordmeyer*	255—317
6. De funere publico Romanorum scripsit *Fridericus Vollmer*	319—364
7. Beiträge zur Geschichte der griechischen Philosophie. Von *Eduard Norden*	365—462
8. Incantamenta magica graeca latina collegit disposuit edidit *Ricardus Heim*	463—576
9. Spicilegium criticum in Valerio Maximo eiusque epitomatoribus scripsit *Guilelmus Heraeus*	577—636
10. Szenische Fragen über den Ort des Auftretens und Abgehens von Schauspielern und Chor im griechischen Drama. Von *Ernst Bodensteiner*	637—808

STUDIA

GELLIANA ET PLINIANA

SCRIPSIT

J. W. BECK.

In Bursiani annalibus[1]) Goetzius nuperrime dixit haud immerito me praedicavisse reliquias librorum dubii sermonis C. Plinii Secundi congerendas, disponendas, illustrandas esse. Ex hoc opere aliquid utilitatis capere posse historiam litterarum romanarum et praecipue veteris grammaticae latinae monebat Goetzii sententia. Etsi iam diu onus illud non leve quidem, sed iucundum suscipere in animo habebam, tamen parum expeditus ad id subeundum mihi videbar. Erant multa et magna impedimenta removenda, multae res etiam atque etiam pertractandae erant et ponderandae; incogitatam doctrinam proponere non decet. Antequam ad id opus aggredior, haec studia praemittam, quia solo aequandae sunt pravae sententiae viaque ad locum difficilem et arduum patefacienda. Tantum autem abest ut superiorum sententias iterum exponam, ut multum a plerisque me differre profitear. Primum igitur dicam de vestigiis librorum dubii sermonis, quae sunt in A. Gellii *Noctibus Atticis,* deinde in aliis scriptis inprimis grammaticorum posterioris aetatis, postremum adiungam observationes quasdam ad synonymorum doctrinam apud Romanos pertinentes, cui doctrinae C. Plinius magnopere favisse videtur. Itaque totus versabor in indagatione, quae est de fontibus et auctoribus A. Gellii, Nonii Marcelli, Charisii; quae res quam molesta sit sciunt litteris latinis docti et eruditi.

Indicem auctorum ad A. Gellii *Noctes Atticas* in editione illa egregia Hertzii conscriptum percensenti iure mirari licet ingentem scriptorum numerum ingentemque testimoniorum copiam a Gellio congestam: aequales eius, viros nobiles et eruditos, alios mediocri, nullo ingenio alios praeter paucos in Noctibus invenire possumus. Et ad grammaticorum cohortem si quis potissimum adire cupiet, plenissimam esse illam sine ulla dubitatione affirmabit.

Qui A. Gellium multa legisse et pervolutavisse arbitrantur recte sentiunt, qui omnes illos scriptores legisse, omnia illa testimonia ex ipsis auctoribus collegisse ipsum putant, in errore versantur. Hoc enim ex Dirckseni, Mercklini, Kretzschmeri disputationibus iam satis elucet in uno capite saepe complures rivos specie ex fontibus diversis, re vera ex eodem fonte ortos esse et partes complures unius generis, sive alia aliam excipit sive non, mera esse excerpta ex operibus et thesauris illis superioris aetatis; ex quibus Gellius, vir neque iudicio neque sollertia destitutus, modica eaque sola accepit, quae utilia et iucunda vel multis vel omnibus esse possent.

1) Bd. 68 p. 170 (1891).



Qui in grammaticae latinae veteris historiam tempus operamque impendunt et grammaticorum veterum libros, qui extant, evolvunt, non ignorant, quanta insolentia a Verrio fere Flacco ad Charisium — ut eos, qui post hunc floruerunt, silentio praeteream — alius aliud opus arripiat, describat, excerpat. Atque non solum grammatici, sed etiam alii viri eruditi hanc viam insistebant. Omnes superat C. Plinius maior, qui teste Plin. ep. III 5, 10 nihil legit, quod non excerperet. Suetonius Varronem expilabat et Plinii libris 'a fine Aufidii Bassi' in 'Caesaribus' utitur neque de suo auctore ullum facit verbum. Inter ea opera grammatica, quae usque ad ultimam aetatem plurimi versabant, principem locum tenent 'libri dubii sermonis VIII' C. Plinii Secundi, quos anno 67 p. C. ad finem perduxit. Inde hauserunt Caesellius Vindex, inde Flavius Caper, C. Iulius Romanus, Nonius Marcellus aliique, qui tamen sua vice Charisio, Diomedi, Prisciano materiam artes conscribendi praebuerunt.

Librorum dubii sermonis fragmenta collegit et digessit Laurentius Lersch in libris Sprachphilosophie der Alten I 179 sqq. Qui etsi hanc rem pro subsidiis, quae illo tempore erant exiguis et minime perfectis haud sine laude peregit, nunc tamen, si posset videre, hanc partem operis sua manu in ignem abiceret.

Viam patefecerunt Keilius et Hertzius; studia Pliniana, quae ad grammaticam latinam pertinent, exploraverunt Schottmuellerus, Detlefsenus, Wilmannsius, Neumannus, Schlitteus.

Sed multi sunt alii viri docti, qui cum in agris finitimis ararent et sererent, agris etiam Plinianis fuerunt usui.

Plinius potissimum Varronis et Caesaris vestigiis insistebat. Apud Varronem dominantur *natura, analogia, consuetudo, auctoritas*, sed Plinius plerumque *consuetudinem* consulit. Investigabat et veteres grammaticos et scriptores omnis generis, quorum *auctoritatem* magna cum cura perpendit. At tamen neque recentiores despicere solebat neque ipsos 'naturalium auctores' evolvere dubitabat; legebat C. Lucilium, Aelium Stilonem, Aurelium Opilium, L. Cornelium Sisennam, Caesarem, Varronem aliosque (v. infra), qui omnes grammaticis studiis se dedebant.

Quae apud Charisium inveniuntur fragmenta X *librorum II de Analogia* Caesaris, ex libris dubii sermonis descripta sunt. Et reliqua quoque fragmenta Caesaris librorum, quae grammatici memoriae prodiderunt, a Plinio sunt orta. Quid, si fragmenta Varroniana a Plinio servata, enumerem? Verissimum quidem est quod dicit Wilmannsius (31) Iahnium[1]) sequens omnes locos cap. 17 l. I Charisii, ubi libri Varronis de L. L. laudentur, Plinii esse. Praeter hos libros etiam hausit ex libris *de sermone latino* et *de utilitate sermonis*.

Ceterum permulta alia opera Varroniana excerpsit, quae, ut ad studia mea Gelliana accedam, hoc loco enarrare supersedeo.

1) Ber. d. k. s. G. d. W. II 1850 p. 114.

Verrium Flaccum, Asinium Pollionem, C. Valgium Rufum, L. Annaeum Cornutum, Iul. Modestum, Ateium Philologum, Pomponium Secundum, Rutilium Rufum, Staberium, litterarum studiis intentos, in usum vocabat. Unde vero incipiam, si ceteros, qui procul a grammaticis studiis erant remoti, enumerare velim? De hac ingenti copia scriptorum tam solutae quam devinctae orationis, qui in dubii sermonis libris inveniuntur, disputare non necesse est, quia aut in hac disputatione tertias partes agunt, aut suo quisque loco ultro nobis obviam venient.

Thesaurum igitur uberrimum fuisse hos libros Plinianos posterioris aetatis hominibus vix est quod moneam. Certo scimus Plinium assumptum esse ducem a Caesellio Vindice [1]), Flavio Capro, Iulio Romano. Num Suetonius, Quintilianus, Gellius, Nonius Marcellus opus Plinianum non dignum quod legeretur iudicaverunt? De Suetonio et Nonio Marcello alio loco disputandum erit, de Quintiliano Nettleship multa probabilia et fide digna rettulit [2]), Gellium nemo in ius vocare ausus est. Cuius rei quae fuerit causa quaerenti respondeam et *Valerium Probum* illum *Berytium* caliginem virorum doctorum animis offudisse et disputationem Hertzii nobilissimam *de Nonio Marcello Gellii excerptore* tanta auctoritate fuisse, ut alias vias interclusas esse intellegerent fere omnes. Nam Nettleship docti Britanni verba audiebant perpauci (Lectures and Essays 235 med.).

At non plane neglexit neque reticuit Gellius, quae scripsit Plinius Secundus. *Historiam naturalem* et *studiosorum libros* adhibuit, ut ipse fatetur, et scriptorem 'aetatis suae doctissimum existimatum esse' — quod haud vero ultima laus est — testatur (N. A. IX 16). Quamquam alio loco (N. A. IX 4, 13) eundem Plinium 'virum in temporibus aetatis suae ingenii dignitatisque gratia auctoritate magna praeditum' esse aperte dicit. Quid ipse quid aequales senserint de huius viri studiis non perspicuum est. Neque pudet Gellium maiores partes ex Historia naturali describere et tum se iactare, quod multis libris doctrinae plenis perlectis ipse invenerit, quae sine ullo labore comparare potuit.

Sed de his rebus Kretzschmerum 13 et Mercklinum 641 consulas. Etiam in praefatione Noctium conscribenda Plinium (N. H. praef. § 23 sqq.) auxilio arcessit (Mercklinus 671).

Ne veretur quidem Plinio addicere verba, quae ipse fabricavit (Kr. p. 15). Sed haec hactenus. Perlegant mihi perlegantque iterum libellos Kretzschmeri et Mercklini, penetrent in ultimos angulos Gellianae officinae, sequantur vestigia hominis omnibus locis — quid referant aequi iudices? Gellium multa nescire, auctores eius pauca. Eum docere velle, delectare malle, mendacem non esse, mentiri posse. Quae congesserat, ea vel hac vel illa ratione in Noctes recipere animum inducebat. Risum teneatis! En bonum Gellium videtis sedentem

1) Neumannus p. 46 ann. Keilius VII p. 138 sqq.
2) Journ. of Phil. Vol. XV 201—214.

in reda et conquirentem telorum, iaculorum gladiorumque vocabula (X 25), quae in historiis veteribus scripta sunt. Quis dubitat, quin Gellius haec vocabula ex eodem fonte quo Nonius (cap. 18 et 13) sibi adnotaverit idque non sedens in reda, sed domi suae magnos libros evolvens.

Quid, Gelli, tu Plinii libros dubii sermonis non laudas, libros Caesaris de analogia II, quorum fragmenta fere omnia omnes ex Plinio deducunt, laudas? Tu Caesaris opusculum vidisti, legisti, hoc Plinii opus solum non legisti? Tu hercle admones me de iis hominibus, quorum magistri vel amici eruditi dictitant sibi hunc et illum librum non placere. Fit ut scriptor iis non placeat. Sed quia praeceptores hoc libro uti gravantur, ipsi quoque non nisi furtive illum scriptorem comitem sibi adsciscere audent. Legunt eum, dies noctesque versant atque mirum in modum quidquid possunt furantes pro suis praedicant. Iudicium, quod de Plinio tulit Gellius, non eiusmodi est, ut illum virum magni aestimatum esse a Noctium scriptore mihi persuadere possim. Conferamus, ut taceam de Sulpicio Apollinari praeceptore eius, quanto honore afficiantur *M. Varro, P. Nigidius* (IV 16; XI 11), *Antonius Iulianus* (XVIII 5) totque alii viri; de quibus Gellius omnibus ambagibus missis suam ipsius sententiam, non aliorum proferre non veretur.

At libros illos Caesaris de analogia nondum dimittam. In XIX 8 Gellius domum Cirtensis adit ibique familiaris quidam: *peto, ut, si Gai Caesaris liber prae manibus est, promi iubeas.* Liber de analogia primus profertur. De hoc capite infra disputare in animo habemus, ut hoc loco satis habeam monuisse, quod postea argumentis firmis demonstrari oportet, totum illud caput a Gellio suo more lepide consarcinatum esse ex uno panno, quem primum concidit, deinde insutis aliis panniculis resarsit. Neque in his capitibus: IV 16, 9; IX 14, 25 libros de analogia a Gellio adhibitos esse apparet. In priore est: *In libris quoque analogicis omnia istiusmodi sine i litera dicenda censet* (Caesar), in altero: *sed C. Caesar in libro de analogia secundo huius dic et huius specie dicendum putat* (cf. etiam I 10). Quibus de rebus loco disserendum erit.

Plinius in libros dubii sermonis tot locos ex Caesaris opusculo receperat, ut posteri libellum ipsum inspicere desisterent. Eodem modo a Suetonio (prata) Varro, ab Isidoro (etym. l.) Suetonius ex usu remotus est. Quin Pompeius (saec. V) Caesaris libellum laudat ex Plinio et quis hoc non fecerat?

Antequam ad sedes Plinianas ipsas aggredior iis, quae loci aequandi causa dixeram, pauca pro re nostra adiungam. Namque multorum hominum est ut eos, qui primi a via trita devertant, non audiant et quia non omnia itinera cognoverant, quibus itineribus ad loca veritati propiora alii pervenerunt, ipsi errantes alios in errore versari putant. Quamquam veritatem non primo impetu indagari posse profitentur et a veri similibus ad veri similiora, deinde ad

veri simillima et, si di voluere, ad ipsam veritatem ascendere ipsi quoque student, ceteros, qui eadem via qua priores pergere nolunt, reprehendunt. At equidem ingenue confiteor non omnia me examussim exaequare posse. Hoc enim mihi propositum est, ut viam patefaciam qua futurus editor Plinii Secundi librorum dubii sermonis reliquiarum progrediatur.

In his libris — quantum nunc quidem scimus — de rebus grammaticis disputationes sive longiores sive breviores invenimus hasce:

1. de abl. singulari nominum tertiae declinationis in *e* vel *i* exeunte.
2. de gen. singulari primae decl. in *as*; de dat. et abl. plur. in *abus*.
3. de gen. singul. secundae decl. in *i* vel *ii* exeunte; de vocativo nominum, quae in *ius* exeunt.
4. de nominativis dubiis vel forma duplici (de singularibus et pluralibus tantum).
5. de nominibus cum duobus genetivis (turbo, Hercules).
6. de gen. sing. nominum quartae decl. in *us* vel *uis* vel *i*.
7. de formis dubiis in quarta decl. (laurus: huic lauro, hac lauru).
8. de gen. sing. nominum quintae decl.
9. de aliis nominibus in *es* (quies, paries).
10. de gen. plur. primae et secundae decl. in *um*.
11. de declinatione vocabulorum in *ta* et *alia* (poemata, Saturnalia).
12. de gen. plur. tertiae declinationis.
13. de acc. plur. tertiae declinationis in *eis*.
14. de *mille* et aliis nom., quae non declinantur.
15. de dubiis generibus.
16. de litteris.
17. de deminutione.
18. de verbo.
    a) de formis dubiis verborum (de dubio perfecto, part. perf. cet.).
    b) de activi vel passivi usu.
19. de adverbiis.
20. de derivativis.
21. de comparativis (senior, plures, complures).
22. de pronominibus.
23. de coniunctionibus.
24. de barbarismo et soloecismo.
25. de praepositionibus.
26. de interiectionibus.
27. de differentia verborum (passim).

Ab iis partibus Noctium Atticarum, quae sunt de rebus grammaticis, inprimis separandae sunt, quae aut Pliniana continent aut

maximam partem ad eum redeunt. Inscriptiones capitum si quis cum Plinianis, quae supra exposui, comparaverit, statim videbit similitudinem eam esse, quae non casui imputari possit:

Gell. N. A.	I 16	de mille (cf. sub 14 Plin.)
" "	XIX 8	de singul. et pluralibus tantum (4)
" "	XV 13	de verbo (18)
" "	XV 15	
" "	XVIII 12	
" "	VI 9	
" "	II 17	de praepositione (25)
" "	XI 3	
" "	IV 1 (pars prior)	de dubio genere (15)
" "	XV 9	
" "	IV 16	de declin. IV (6)
" "	IX 14	de declin. V (8)
" "	V 20	de soloecismo (24)
" "	V 21	de voc. pluria, compluria, non barbare dictis (24, 21)
" "	X 21	de adverbio (19)
" "	X 24	
" "	XIII 21	de dubiis generibus et formis (4, 7, 15)
" "	I 10	(ex Caesaris libro de analogia)

Sed similitudo non solum ad res pertinet, sed etiam ad auctores laudatos et ad certa Plinii dicendi rationis vestigia, de quibus generatim et summatim disputavi in Philologo II 2: Zur Quellenanalyse des Charisius.

Plinianae copiae uberrimae Noctium scriptori erant magnae utilitati, quia vix alius grammaticus tantam multitudinem scriptorum perlegerat et excerpserat, tantam copiam testimoniorum conportaverat. Et Gellius is est, qui illam farraginem consilio et ratione, argute et sollerter, varie et iucunde digerat atque ordinet. Legas, quaeso, quae Diomedes[1]) 374, 13 sqq. ex Plinii libris descripsit. Quanta est siccitas orationis! Taedet nos et fastidium creat tabula illa satis longa, quae constat ex nominibus propriis, testimoniis, formis. Gellius autem ex materia rudi fabulam confingit, confictam in scaenam defert (cf. e. g. XIX 8). Tum Athenis est, tum Neapoli, tum domi Frontonis Romae. Alii primas, alii secundas partes agunt. Adest vir eruditissimus quidam, adest iuvenis stupidus, insolens, adest plerumque Gellius ipse. Sed interdum Gellius in bibliotheca invenit librum aliquem, qui ansam ei praebet ad disputationem conscribendam. Denique Gellius non Fulgentium[2]) agit, sed hominem fabulatorem imitatur, qui, ut doceat homines, res saepe neque auditu neque visu iucundas pulchris vestimentis indutas nobis offert.

---

1) cf. p. 4, vs. 15 supra.
2) De Virgilio Marone sententiae in diversum tendunt (Arch. IV 168).

At iam satis ambagum. Transeamus ad N. A., ut indagemus Plinii reliquias:

N. A. IV 16—IX 14.

Haec capita vinculo quodam inter se iuncta sunt: alterum de genetivo (et dat.) quartae decl., alterum de genetivo (et dat.) quintae decl. est. In utroque capite Caesar de analogia laudatur. Kretzschmerus (96) haec capita Caesellio Vindici attribuit. Sed in medio itinere substitit.

Nonius, qui Gellianum opus ad ordinem fere capitum compilasse existimatur[1]), tantam copiam testimoniorum conquisivit, ut hoc loco alios auctores in usum vocasse putandus sit. Initio capitis 16 l. IV Gellius: *comperimus* ⟨M. Varronem et P. Nigidium⟩ *non aliter elocutos esse et scripsisse quam senatuis et domuis et fluctuis.* Nonius (484, 491 M.) multa exempla Varroniana affert veluti: *domuis pro domus.* Varro ταφῇ Μενίππου. Qua de re et Plinius apud Charisium 143, 12 *senatuis ut fluctuis. 'ita genetivum' inquit Plinius 'declinabant, ut G. Fannius cos. contra G. Gracchum senatuis consulta'. senati Sallustius, 'senati decretum fit', ut lauri; Cicero quoque [de] divinatione in Verrem et pro Oppio II senati'.* Et ab hac ad alteram Charisii partem (54 sqq.) respiciendum est, ubi Pliniana usque ad 55, 21 congruunt cum duobus capitibus Gellianis. Deprehendimus testimonium Plinii Ch. 143, 13 ex Sallustii Catilin. etiam 55, 1 et alterum testimonium Terentianum 54, 31 etiam apud Gellium IV 16, 2 (*anuis*). Hoc testimonium ex Terentii Heaut. (2, 3, 46) cum aliis tum a Nonio tum a Charisio tum a Prisciano laudatur. Extant praeterea horum pauca in fragmento Bobiensi de nomine et pronomine (K. V 555), in quo fragmento 560, 30 Plinius Secundus in libris dubii sermonis auctor est et — ut hoc addam — hic solus in toto fragmento occurrit.

Accedit quod Neumannus (44) ostendit, quae habeat Priscianus in libro VI, ea haud pauca Pliniana continere. Inter quae (Prisc. 257, 18 sqq.) nimirum sunt illa nomina quartae decl., quae cum Nonio (484—487) ex eodem fonte hausit grammaticus Caesariensis.

Perlustremus testimonia a Gellio exhibita. Vestigia originis in fronte inusta sunt. An casui debetur ordo ille per utrumque caput perspicuus?

IV 16:	IX 14:
Gen. *anuis*	Gen. *dies*
⟨Dat. *victu*⟩[2])	„ *fami*
Dat. *anu*	„ *pernicii*
„ *aspectu*	„ *progenii*

1) Verisimile est Nonium adhibuisse Noctes, sed omnia, quae Gellianis similia sunt vel esse videntur, non huic viro debet.

2) Locus corruptus. Post '*in hisce versibus*' unus versus fortasse excidit, in quo erat prius testimonium *anu*.

IV 16:	IX 14:
Dat. *concubitu*	⟨Gen. *acii*⟩ [1]
„ *dominatu*	. . . . .
„ *ornatu.*	Dat. *facie.*

Eodem modo Plinius ordinem ad casus instituit (Schottm. p. 33 sq.). Quid, si hunc ordinem ad litteras digestum etiam in aliis partibus Noctium invenerimus? Praeterea in his capitibus non silentio praetereundum est, quod in aestimandis Plinianis fragmentis haud sane parvi est momenti: vocabula, quae sunt *consuetudo, ratio, auctoritas,* tam saepe occurrunt in Plinii fragmentis apud Charisium, ut vix mirandum sit, quod in his quoque fragmentis apparent: *Hanc eorum* ⟨Varronis, Nigidii, Terentii⟩ auctoritatem *quidam e veteribus grammaticis* ratione *etiam firmare voluerunt* (IV 16, 3). Et IX 14, 2: *haec facies, huius facies, quod nunc propter* rationem grammaticam *faciei dicitur.* Cum quibus conferatur: Char. 54, 30 (Pliniana): *ab hoc portu, huius portus. Quamvis nec hoc* auctores *observaverint. Nam et Terentius huius anuis dixit et Sallustius huius senati, cum* ratio *exigat huius anus, huius senatus dicere.*

Verum est Plinium plerumque *consuetudinem* sequi. Sed *auctoritatem* et *rationem* coniunctas invenies Char. 88, 10.[2])

Attende sis etiam, quomodo in fine IV 16 laudentur sub titulo rarissimo libri Caesaris ('in libris analogicis'). Char. 141, 24 et Pomp. 144, 19 (Pliniana) eundem titulum habent, id quod adiectis reliquis argumentis haud spernendum esse censeo.

Schmidtius in disputatione *de Nonii Marcelli auctoribus gramm.* p. 152 intellexit Nonio et Charisio communem esse fontem in enumerandis his vocabulis. Hunc fontem esse Plinium non aperte dixit, sed tacite demonstravit. Unde vero nomen Caesellii Vindicis in IX, 14? Mercklinus (658) dicit a Terentio Scauro vel ab Sulpicio Apollinari derivatum esse nomen Caesellii. Quod non meae sententiae repugnat, qui Caesellium non auctorem esse harum quaestionum existimem. Hoc solum verisimile esse potest Caesellium in commentario lectionum antiquarum (N. A. II 16, 5) de genetivo *dies* disputasse. De altero vestigio Caeselliano eoque levissimo infra dicam quid sentiam.

In Plinianis apud Charisium p. 55 testimonium est genetivi *fami* (Varronis), cuius rei in capite Gelliano alia testimonia pauca (IX 14, 4—10—11). Plenum est hoc caput ostentationis, qua doctrina aliena occultetur atque ipse inspectis veteribus libris, conquisitis impensa opera veteribus libris plusculis, idiographo viso ab alio allato in hac quaestione aliquid et voluisse et effecisse videatur.

Atque tandem ad finem pervenit. Sed addit: *ego quoque in Iugurtha Sallustii summae fidei et reverendae vetustatis libro die casu patrio*

1) Testimonium Cn. Matii totum ordinem interrupit.
2) Disputavi de his rebus in Quellenanalyse 259 sqq.

scriptum inveni. — Aut omnia me fallunt aut id testimonium ex libro, quem hoc loco ante oculos habebat, sibi ex ordine antecepit — vanitatis ultimam stationem relinquens. Nam quo plures libros Gellius sese invenisse, inspexisse, perlegisse autumat, eo magis ex uno vel duobus auctoribus petisse sua existimandus est. Haud raro accidit ut ex multis commentariis ne unus quidem nascatur. Cuius rei clarissimum est exemplum, quod extat XV 30, ubi non sine magno augendi studio iactat se legisse multos admodum commentationum libros Probi, quorum certum vestigium ad hunc diem nemo invenit. In hac quaestione, quam iterum attingere paratus sum, sunt qui mihi non assentiantur, qui sententiam meam refelleret exstitit adhuc nemo. Itaque forti animo arma capiam ad defendendum castellum, quod defendere et debeo et possum.

Vereor ne Gellius viri honesti partes non agat vel, si hoc nimis audacter dictum esse videtur, cupiditate rariora proferendi et doctrinam non vulgarem iactandi adductus legisse sibi videtur, quae aut non legit aut, si legisset, vitiosa esse facile perspicere potuisset.

Quod ad genetivos in *-es* et *-e* exeuntes suspicionis nulla est causa, praeterquam quod gen. ille in Ciceronis Sestiana (*dies*) in codicibus nostris non est (*diei*) et quod — contra Ciceronis morem — male sonat series illa litterarum s-finalium: *equites vero daturos illius dies poenas*. Ob eandem causam dubito an ipse Vergilius non scripserit: *libra dies somnique pares ubi fecerit horas* (Georg. I 208). Praeterea corruptelae via erat patefacta propter sequens voc. *somni* (dittographia). Servius legebat die et sic Ribbeckius, prol. 137; *codices Vergilii et grammatici 'die' et 'diei'*. In altero loco Vergilii (§ 8) 'dii' legebat Gellius, 'dei' et 'die' Servius (ad Aen. I 636), unde apparet 'die' ab imperitis in 'dei' mutatum esse. Genetivi 'pernicii' et 'progenii' in Nonii codicibus non inveniuntur, neque in codd. Ciceronis 'pernicii' (pro Ro. Am. 45, 131) est; Charisii auctor p. 69 legebat *pernicies*. Itaque de genetivis *facii, dii, pernicii, progenii, acii, specii, luxurii* somniasse Gellium manifestum est. In exemplari suo habebat genetivos vel in *es* vel in *e* (*ei*) exeuntes.

At restat, ut de illo argumento supra omisso pauca addam. Est enim apud Charisium 117, 13 Caesellius Vindex cum testimonio Cn. Matii, qui in hoc capite Gelliano bis laudatur. Sed carbonem pro thesauro invenimus. Alia testimonia Cn. Matii et apud Gellium et apud Diomedem et apud Priscianum exstant, ubi Caeselli doctrinae nec vola nec vestigium.

V 20[1]) et 21.

De soloecismo et barbarismo Plinium in libro quodam docte disputasse apparet ex reliquiis apud grammaticos posterioris aetatis (K. IV 447, 5; 444, 3; sed imprimis Pomp. 292, 13—39; 283, 19;

1) cf. XIII 6.

285, 4, 31). Et fortasse Quintilianus I 5, 5 sqq. magnam partem huius disputationis (cf. e. g. Pomp. 284, 22 de vocabulo *mastruca* et Quint. I 5, 8) in usum vocavit, quod eo minus mirandum esse mihi quidem videtur, quia statim subsequuntur I 5, 53 illa Pliniana usque ad I 6, 28. Sed utut haec res se habet, ipsa Pliniana neque in priore neque in sequente capite 21 libri V, quod arto vinculo cum praecedente coniunctum est, detexi; habemus adnotatiunculas aliquot de barbarismo pluria.

Hanc rem autem omnium certissimam esse putamus: antiquiorem subesse fontem; Plinium de his vocabulis scripsisse supra dixi. Sinnius Capito (V 20, 1) *soloecismum* appellat *imparilitatem,* vetustiores Latini autem *stribiliginem.* Casu factum est, ut ex vetustioribus unum servaret nobis Codex Voss. 37 (saec. X apud K. V 328), ubi haec leguntur: *soloecismum latine nostri dixerunt, ut ait Aurelius Opilius, stribliginem.*

Comminianus (Char. 266, 15 et 267, 23) postquam suam sententiam explicavit: *aliis ita placuit definire: soloecismus est non conveniens rationi sermonis verborum iunctura.* Diomedes 453, 21 sqq. post alia subiungit eadem et paulo infra (453, 28): *latine a quibusdam stribiligo appellatur.* Quinam sint illi 'alii' et 'quidam' ex capite Gelliano facile colligitur (cf. etiam Gelliana: *inconveniens compositura partium orationis* cum: *non conveniens rationi sermonis verborum iunctura*).

Sed Sinnius Capito, qui apud Gellium in sequente capite laudatur iterum, videtur esse utriusque capitis auctor.

Est quaedam neglegentia in Capitonis epistulis referendis. Prior epistula (V 20) inscriptione certa caret nec scimus quo numero fuerit insignita. Huc accedit, quod verba Capitonis nescio quo casu a Gellio mutata sunt, de qua re infra plura dicturus sum. At in altero capite iterum ad epistulas Sinnii lectorem religat, addito titulo, numero, loco, ubi essent, quamquam paulum haesitat in loco indicando illo (§ 9 *opinor, in templo Pacis*). Atque quam plane perspicitur his locis ratio Gelliana in digerendo et enarrando! In priore capite materiam collocavit ante oculos nostros sine ullo ornamento, in altero materiam distribuit in duos homines, quorum alter vir adprime doctus, amicus eius, vocabulum *pluria* defendit contra nebulonem quendam semidoctum. Habet amicus testimoniorum numerum sat magnum: auctoritates non placent alteri neque rationem hoc vocabulum ei habere videtur. Nescimus utrum testimonia (§ 6) inserviant ad stabiliendum etiam vocabulum *pluria* necne. Hoc enim magni pretii est nobis quaerentibus apud scriptores veteres formam *pluria* non *compluria,* cuius exempla habemus satis multa. Nihil igitur valent haec argumenta.

Ut sententiam suam firmiorem reddat adversarius profert regulam grammaticorum, quam Char. 60, 9 — vel, quod melius est, Iulius Modestus apud Plinium Secundum (cf. Ch. 125, 3 et 73, 12) —

servavit: *vetera dici non veteria et maiora, non maioria, et plura non pluria.*

Sed Charisius ter testimonium adiungit Terentii Phorm. (4, 3, 6) *nova hic compluria.* Et in fine capitis Gellius ad similem formam confugit; nihil aliud habet, quod offerat nisi *compluriens.*

Scimus vocabula *complures* et *compluriens* significationem comparativi exuisse. Amicus Gellii autem vel Capito aperte dicit *pluria, plura absolutum esse et simplex, non comparativum* (§ 13, cf. § 6: *pluria sive compluria, nihil enim differt*). Constat scriptores aetatis Augusti nonnullos significationem comparativi voc. *plures* neglegere coepisse. Hoc etsi congruit cum sententia Capitonis, qui eodem fere tempore floruit, non pertinet ad antiquos scriptores.

Censeo terminationem genetivi pl. *-ium* in voc. *compluria,* ubi antiquitus et ratione *-ia, -ium* (compluries) locum occupaverunt, postea deductam esse ad voc. *plura.* Habemus enim *compluria* et *compluries* (= *saepe*) apud veteres scriptores (Plautum, Terentium, Catonem). Sed *plura* non *pluria* genuinam formam comparativi esse certissimum est (cf. Lucr. V 91).[1] Rectum igitur esse apparet quod reprehensor audaculus Gellii profert de finalibus litteris compar. neutri generis, falsum quod Sinnius Capito dicit de significatione *plura* vocabuli, quam tunc temporis in usum venisse dictum est. Neque satis distinguit formas *plura* et *compluria* Iul. Modestus, quod aeque neglexerunt ceteri grammatici. Nam aut a *pluria,* quod testimoniis ornare non possunt, statim ad *compluria* transeunt (Priscianus 315, 15) aut cum de nominibus comparandi dicunt, uno tenore *complura* apponunt (Iul. Modestus).

Vere dicit grammaticus apud Gellium (§ 5) de vocabulo 'pluria': *barbare . . . dixisti pluria. Nam, neque rationem verbum hoc, neque auctoritates habet.* § 8 sic fere: *Sicuti meliora ita plura dicendum est.*

Examinemus grammaticorum veterum sententias: Prisc. 89, 5: *hi et hae plures et haec plura. Antiqui tamen etiam pluria dicebant, unde Terentius in Phormione compluria* (= 315, 15).

Prisc. 350, 11: *maiora enim et minora et plura dicimus, quamvis antiqui etiam pluria dixerunt, unde compositum compluria.*

Char. 73, 12: *Plurum Modestus putat esse dicendum, non plurium cum i. Ea enim nomina, quae comparandi sunt, genetivo i habere non debent, ut fortiores fortiorum . . . . .; sic plures, horum plurum. Sed consuetudo plurium cum i dicit. Unde et Terentius in Phormione nova hic compluria dixit.*

Conturbatum esse ordinem, nec integre traditum apparet ex loco Char. altero 125, 3: *Compluria Terentius in Phormione, nova compluria; ubi Plinius: Iulius Modestus, inquit, ita definiit, quae nomina comparandi fuerint, ea acc. plur. in is exient; id est fortioris,*

1) Lachm. ad Lucr. II 586. Nostra aetate negant voc. plus comparativi esse formam, sed subst. dicunt.

genetivus *fortiorum* *facere debet, non* *fortiorium; id est ante um syllabam i recipere non debent. Ita* *compluris* (N. complura) *et* *complurum esse dicendum. Consuetudo tamen et* *hos plures dicit et* *horum plurium* (N. haec pluria) = Char. 73, 14: *sed consuetudo* *plurium cum i dicit.* — Et sic defenditur vocabulum *compluria* per genetivum plur. *plurium,* sed non a nom. plur. *pluria* ad *compluria* transitur.

Sinnium Capitonem in epistula quadam docuisse *pluria* dicendum esse et absolutum esse, non comparativum, vix credendum est. Eum *compluria* formam defendisse, sicuti Iul. Modestus (*com*)*plura,* probabile est. Itaque restat, ut Gellium de neglegentia accusemus. Qui dubitat de loco, ubi epistulae Capitonis inveniuntur, etiam errare potest de inscriptione. Et in hac inscriptione (§ 10) consistit totum caput.

Gellium quoties memoria fefellit![1]) Vide quid dicat de *soloecismo* (V 20): Sinnius Capito inparilitatem dicit et statim subiungit ipsius Capitonis verba vocabulo soloecismi utens. Testimonia, quae in fine capitis reperiuntur *compluries* non ipse collegit, sed nescio quo loco eruit.

Testes sunt huius rei Verrius Flaccus, qui (59 Mu.) etiam alium locum Catonis affert et Nonius (89 Me.) item alium locum Catonis cum duobus locis Gellianis.

VI 9—XV 13—XV 15—XVIII 12.

De iis partibus Noctium, quae vulgo M. Valerio Probo attribuuntur, quia nomen huius viri in his capitibus obvium omnem dubitationem tollere videtur, in Quaestionibus meis Novis (p. 9 sqq.) disserui. Sed tunc de libris grammaticis, qui dicuntur, Probi illius critici narrare opus erat. Huius disputationis locus praecipuus hic est: Gellius se ex sectatore vel ex alio quodam homine audivisse ait Probum hoc vel illud dixisse (quinquies I 15, 18; III 1, 5; VI 7, 3; IX 9, 12; XIII 21, 1). Semel Probum aliquid adnotavisse fatetur, locum, ubi invenerit, non addens (VI 9, 11). Laudantur: 1. *Epistula Probi ad Marcellum* (IV 7), 2. *commentarius .... de occulta literarum significatione in epistularum C. Caesaris scriptura* (XVII 9). Praeterea (XV 30, 5) mentionem facit Gellius de multis admodum commentationum libris Probi, sed mera verba sunt, ut l. l. p. 19 sq. Mercklino auctore (689) exposui.

Deinde satis constare iam tum mihi visum est Probum — quod etiam testatur Suetonius — 'commentationes grammaticas' non scripsisse; quae Probo XIII 21 et VI 9 assignantur, ea etiam leguntur apud alios, quos ex libris Plinianis hausisse certo scimus. Debilis et infida igitur auctoritas est Probi apud Gellium. Sed haec hoc loco iterum pertractare non oportet neque habeo, cur sententiam meam semel prolatam hic vel illic commutem. Quanto saepius in his studiis

1) Kretzschmerus p. 19 sqq.

versabar, eo magis intellegebam nihil opus esse fasces demittere iis, qui a meis partibus non starent. Excedere ex hac pugna non decet nisi armis ereptis. Tantum vero abest ut viam, quam semel ingressus sum, relinquam, ut nova argumenta veteribus addere, veteribus maiorem auctoritatem attribuere constituerim.

Notata sunt supra quattuor capita, quorum primum continet Berytii nomen (§ 11). Sed quidquid sentis de hoc capite, eiusdem generis sunt reliqua tria, quae Probi nomine non ornata sunt: excerpta sunt ex opere quodam grammatico, ex ea scilicet parte, quae erat 'de verbo'. Namque habemus unum caput *de perfectis duplicibus,* alterum *de verbis communibus,* tertium *de part. perf. verbi, quod est* pando, quartum *de usu formae activae pro passiva* (inverso quoque ordine). Et de his rebus Plinius fusius tractavit in libris dubii sermonis (vide supra sub 18, et infra).

At de VI libri capite nono omnia iam a me in *Quaestionibus* dicta sunt. Addere potui de eiusmodi rebus etiam mentionem facere Quintilianum in ea parte Institutionis, quae Pliniana continere ostendit v. c. Nettleship. Dolendum autem est Quintilianum res leniter tangere maluisse quam plane enarrare, ut hunc rhetorem inspexisse libros Plinianos videamus et penitus sentiamus, nec tamen sic multum proficimus. Plinius tractavit de dubio perfecto: Diom. 368, 9; 369, 15; 371, 18; 374, 13; 375, 16; de dubio partic. perfecto: Diom. 377, 21 (= N. A. XV 15), 376, 2; 377, 11; Prisc. 513, 7.

Ab hoc capite de dubio perfecto transeamus ad reliqua, quae tam artis vinculis inter se iuncta sint, ut unius arboris ramos esse ultro profiteri cogaris. De verbo et inprimis de formis activis et passivis (N. A. XV 13; XVIII 12) cf.: K. V 227, 23; 233, 34; Diom. 377, 18; 378, 1; Prisc. 393, 7; Serv. ad Verg. Aen. VII 273; I 546; II 64—Pliniana.

Accedunt duo alia fragmenta apud Prisc. 385, 1 et 15, alterum propter Staberii nomen (cf. N. Hist. 35, 17, 58 *conditor grammaticae* ibi appellatur), alterum propter Nigidii librum 'de animalibus' (Quaest. novae p. 18, N. H. 6, 9, 5 et N. H. 29, 78).

De verbis communibus (Char. 165, 4) quae dicuntur (*hortor te* et *a te*) et de formis activis passive vel passivis active usurpatis magnae syllogae iam ante Gellium erant confectae. Inde certum est permulta Caprum mutuatum esse, quem Priscianus exscripsit (Prisc. 393, 8). Is enim verborum communium reliquit magnam testimoniorum veterum copiam. Alterius generis specimen Nonius servavit in capite VII *de contrariis generibus verborum,* qui, etsi fontem eundem, quem Gellius adiit (cf. e. g. N. A. XVIII, 12, 5 cum Nonio 470, qui praeter illud Gellianum quattuor alia testimonia affert), tamen — dicas consilio quodam esse factum — nunc testimoniis tantum differt ab Gellio, quantum multis aliis locis in hac re ei similis est. Dispersam doctrinam horum verborum praebet Diomedes 381, 21 et 400, 3 sqq., ex magna exemplorum copia pauca eligens, sed in colli-

gendo nos relinquens hisce verbis: *citius me dies deficiet enumerantem exempla.* In tanta copia facile poterat fieri, ut alius alia exempla arcesseret.

Nihil est in Gellianis capitibus, quod de Plinio auctore cogitare prohibeat. Caper enim floruit post Gellii aetatem. Et ut Diomedem (per Caprum) in ea parte, quae est *de speciebus temporis praeteriti perfecti,* maiorem partem ex Plinii libris sumpsisse constat, ita eum etiam in aliis partibus, praecipue in ea, quae est *de diversa verborum positione* (p. 381 et 400) secutus esse Diomedes habendus est. Habemus enim his omnibus locis Pliniani operis certa vestigia, ut p. 385, ubi est illa differentia subtilis inter *activum* et *passivum* verbi 'possum' cum testimonio M. Scauri, de vita (cf. Ch. 129, 10; 146, 31; Diom. 374, 13; 377, 11 Pliniana).

At tamen restat ut unum scrupulum evellam. In fine totius illius disputationis de verbis communibus et de dubiis generibus verborum Priscianus 393, 9 haec adiungit: *sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies.* Probus apud Priscianum est Geryones alter inter grammaticos, vir triceps in cuius cervicibus omnia imponuntur, quae summae auctoritatis viro digna sunt. Probi Berytii apud Priscianum certum testimonium invenire non potui (Quaest. novae p. 30 sqq.).

Probum artigraphum saepissime in usum vocatum esse nemo est quin videat. Accedit, quod Priscianum interdum nomina conturbasse et Probum pro Diomede, fortasse pro Charisio etiam, laudavisse perspicuum est. Quam ob rem ego olim (l. l. p. 33 sqq.) idem hoc loco factum esse scripsi et Diomedem esse, qui Probus apud Priscianum 393, 3 appellatus sit. De hac re Steupius, *de Probis* legendus est p. 191 et Quaestiones novae p. 38 sqq. Diomedis nomen occurrit primum in libro IX operis Prisciani (470); libro X (535, 12 et 21) ita res se habet, ut Priscianum ipsum non distinxisse inter Probum et Diomedem luce clarius appareat. Nam primum Diomedes laudatur, deinde Probus artigraphus, tum Probus = Diomedes (i. e. Diom. 373, 7). Ultimo impedimento remoto tandem revertimur ad Gelliana capita. Plinius scripsit de dubiis generibus verborum. Significatio verborum Plinio Sec. testante *proprie in actione* vel *passione* est.[1]) Hoc etiam invenitur apud Pomp. 227, 23 sqq. Ex hoc capite Pliniano pauca servata sunt de *comperior* et *comperio* (Diom. 377, 16), de *luxurior* et *luxurio* (378, 1), de *amplector* et *amplecto, complector* et *complecto* (Prisc. 393, 7), de *adulo* et *adulor* (K. V 233, 34), de *auguro* et *auguror* (Serv. ad Verg. Aen. VII 273) et alia pauca, quae Plinii vestigia in fronte gerunt.

Apud ipsum Gellium originis Plinianae signa maiora non sunt. An est aliquid, quod XVIII 12, 6 Cn. Gellii annales laudantur? Annotandum est Cn. Gellii annales (quibus Plinius etiam in N. H. est

1) Gainfr. in Mai class. auct. V 150.

usus, cf. ind. l. VII) et apud Charisium et apud Priscianum (semel) a Plinio originem trahere (cf. Neumannus p. 28).

XIII 21—XV 9—IV 1.

Sequuntur iam tria capita *de dubiis generibus,* quorum habemus in Plinii reliquiis testimonia permulta. De capite 21 l. XIII fusius disputatum est in Quaestionibus Novis p. 11 sqq. Sed argumenta augeri possunt. Quod ad ordinem ad litteram quodam modo digestum, quem in hoc capite notavi (l. l. p. 13), disturbatum esse eum a Gellio eo facilius intellegitur, quia ea, quae in exemplari suo invenit, in duas partes divisit, quarum alteram Valerio Probo, alteram sibi ipsi attribuit. Haec reliquit nobis Gellius vestigia. Dominatur in hoc capite suavitas aurium, de qua Plinius apud Char. 123, 4 sub genetivo 'aenigmatis' ..... *ait enim Plinius quamquam ab hoc poemate his poematibus facere debeat, tamen consuetudini et suavitati aurium censet summam esse tribuendam* — et eodem vel simili modo tam saepe elocutus est, ut multos locos ad obrussam exigere non dubitaverimus in disputatione, quam scripsimus 'Zur Quellenanalyse des Charisius' p. 259. Incommode accidit, quod (Char. 101, 4 sqq.) in mediis Plinianis habes magnam lacunam; id testantur et Char. excerpta 555, 25, ubi est voc. *finis*[1]) et Non. 205, qui in hoc capite de indiscretis generibus permulta alia exhibet vocabula, de quibus aut Plinius apud Charisium aut Gellius ex Plinio in hoc capite tractat. Est quidem fons Nonio cum Charisio communis, ex quo Gellius quoque delibavit. Et hic habeo copias meas expeditas: nam si sententia de Nonii fontibus potest refutari, ab hac parte impetus fiat. Quae apud Charisium pertinent ad dubia genera et ad differentias verborum, ea cum Nonii capitibus congruere mihi iam constat. Sed infra haec res pertractanda erit, quia attingit doctrinam synonymorum apud veteres, de qua re separatim disputaturus sum. Et in hac re Plinius Secundus inter principes adscribendus est. Ut in verborum generibus activis et passivis interdum subtilem differentiam invenisse sibi visus est, ita in nominibus saepissime simul cum forma vel genere significationem distinxit (cf. e. g. Char. p. 77, 5 *balteus, balteum* cum Non. 194; *margarita, margaritum* Char. 108, 4 sqq. et 57, 27 sqq. cum Non. 213).

Ad frustula magni corporis pervenimus (N. A. XV 9). In eodem capite Nonii 'de indiscretis generibus' (204) invenitur voc. frons. Testimonia Gellii et Nonii tantum inter se differunt, ut hunc ab illo haec descripsisse nemo possit contendere. Similia sunt testimonia Caecilii. Sed Gellius duos locos Catonis laudat (lib. I Orig.): *aequo fronte* et

1) K. IV 209, 31 in hoc fragmento Pliniana sunt multa e. g. 209, 6 sal, et auctores 208, 16 Cornelius Severus et 209, 21 Fabianus 'causarum naturalium'.

recto fronte, quorum hoc est in Festi frgm. (286 M.). Communem esse fontem vidit etiam Kretzschmerus 74, qui Verrium Flaccum auctorem esse dicit.

Sed est alia via. Plinius Verrio Flacco in ipsa ea parte operis sui de generibus utebatur (Ch. 126, 9; 141, 20; 106, 12; 102, 10; 85, 6). *Ratio* et *veterum auctoritas* (§ 4) flagitabat genus masculinum, *consuetudo* femininum genus comprobavit. Quid magis cum doctrina Pliniana convenit?

Est tertium frustulum, quod Gellius IV 1 servavit. De genere vocabulorum *penus* et *mundus* inspexit eundem thesaurum atque Nonius, qui 214 et 219 (sed de *penus* fusius) in ipso illo capite 'de indiscretis generibus' multa, non tamen omnia congessit. Erat enim fons uberior, unde hauserunt Charisius 74, 28 et 140, 11 (Cledon. K. V 40), Priscianus 163, 11; 170, 13; 260, 17 et Servius ad Verg. Aen. I 703. Sed scriptores, quos laudant, ultra Plinii aetatem non progrediuntur. Proximus Plinio est Persius Flaccus apud Servium (Persius mortuus est 62, Plinius edidit libros de d. s. 67). Et hoc mihi videtur esse gravissimum argumentum in re tam obscura. Est igitur hic thesaurus, in quo Gellius invenit haec omnia vocabula dubii generis, quem Caper adhibuit teste Prisciano 171, 14 (cf. Quaest. Nov. p. 32).

XIX 8.

Pergo ad eam partem, quae est de singularibus et pluralibus tantum. Occurrit nobile illud nomen Gai Caesaris cuius libri de analogia a Plinio perpetuo laudantur.

Kretzschmerus p. 24 recte videtur ostendisse, qua ratione usus Gellius hoc caput conscriberet. Habebat ante oculos librum, ut mihi quidem videtur, Plinii et, quod ibi invenerat de nominibus, quae sing. vel plur. tantum numero inveniuntur aut cum numero significationem mutant, in duas partes dividebat inter Frontonem et huius familiarem. Sed se nimirum huic sermoni affuisse docet. Suo more iam in initio capitis exponit quam brevissime id, quod paulo post fusius pertractaturus est (§ 3 et 4 *harenas vitiose dici existimat* — *comitia et inimicitias*).

Plane eodem modo II 16 materiam discidit. In manibus habebat epistulam aliquam Apollinaris Sulpicii *de Caesellii erroribus* in enarrando loco Vergilii Aeneidis. Iam in primo capite ponit, quasi sua ipsius sit opinio § 3, quae infra § 8, ubi verba Sulpicii addit, repetuntur (cf. Disp. mea de Sulpicio Apollinari, Gron. 1884 p. 31). Sed redeamus ad locum, quem reliquimus. Porro § 17 sibi servavit testimonium, quod iam § 6 exhibendum fuit quodque hoc loco dolose intercepit.

Accuratius de hoc capite quaerendum est.

Fronto § 3 et 4: *harenas vitiose dici existimat, quod harena nunquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque caelum*

neque triticum; contra autem quadrigas, etiamsi currus unus, equorum quattuor iunctorum agmen unum sit, plurativo semper numero dicendas putat, sicut arma et moenia et comitia et inimicitias.

Atque in his verbis ei, qui non hebeti ingenio est vel mente destitutus, iam ratio sententiae involuta est. Erat enim ille familiaris (§ 3) bene eruditus homo et poeta illustris, vir sane non mediocri ingenio, qui cum ipse confiteretur § 5 se bene intellegere illas formas *caelum, triticum* — quó exemplo *harena* sing. numerus iam satis superque illustratus erat — non debuit § 10 rogare Frontonem, quae esset causa vitii et in *quadriga* dicenda et in *harenis.* Et quid ille respondit? Multis verbis dicit, quod magnam partem iam supra demonstravit. Res eiusmodi est, quae ne pueris quidem magnas difficultates offerat.

Ceterum miramur memoriam divinam Gellii, qui verba ipsa Caesaris a Frontone lecta, memoriae mandaverit (Mercklinus 688).

Ex tribus testimoniis Plauti, Ennii (§ 6), Varronis (§ 17) duo priora etiam a Nonio tradita sunt. Quartum accedit sub verbo *quadriga* testimonium Pacuvii apud Isidorum in Differentiis s. 47, qui quam antiquos fontes adierit satis vulgatum notumque est. Et haec sunt antiquorum exempla. Nam apud posteriores saepius occurrit (Propertium, Plinium, Martialem, Suetonium).

Quid Plinius in libris dubii sermonis de hoc genere vocabulorum docuit?

Proficiscendum est a Charisio 90, 5 = 141, 20, ubi locus ex Caesaris de analogia libris Pliniana aperte indicat. Accedit quod cum illa observatiuncula de deminutivo *pastillus,* tum vocabulum a Plinio maiore sescenties usurpatum *hodieque* (= etiam hodie) manum scriptoris dubii sermonis prodit (Zur Quellenanalyse 264 et hoc loco p. 23 infra).

Hoc loco putat *panem* plurali numero dici non posse, quoniam unica res sit et ad pondus redigatur.

Ad hanc rem pertinet etiam quod dicitur a Plinio de voc. *sal* (Ch. 106, 16): *idem* (Fabianus) *etiam pluraliter dixit.*[1]) Porro de numeralibus disputat, inprimis de *mille* (K. V 185, 16; 45, 13; 172, 12), de voc. *naris* (Ch. 107, 4 test. Aemilii Macri).

At paene praeteritus est locus, qui consuetudinis quodam vinculo cum aliis, de quibus supra erat sermo, est coniunctus.

Quamquam non constat omnia, quae Char. 93, 3—28 de defectivis numero et casibus tradit, integra ex Plinii libris nobis esse relicta, Pliniana inesse huic parti mihi ob causas haud spernendas probabile videtur. Adducit me ad hanc sententiam licentia quae dicitur vetustatis (Ch. 93, 10), quae verba admonent nos de loco Pliniano (Ch. 118, 19), ubi veterum licentia opponitur veteri dignitati. Praesto est alterum argumentum. Ch. 105, 20 (Pliniana):

1) cf. K. IV 209, 6—26.

cuius moveremur, inquit Plinius, auctoritate. Quod plane contrarium est his verbis (vide supra Char. 93, 9): *nam quod auctores dixerunt . . . . . nos non moveat.*

Et tu totum Charisium velim perlegas: eiusmodi elocutiones frustra aliis locis quaeras. Nam in investiganda Plinii ratione scribendi haec et multa alia quam diligentissime annotavi in disputatione Zur Quellenanalyse des Charisius. Multi autem alii loci hanc rem attingunt, qui colore Pliniano sunt infecti. Sed argumentis certis uti, non incertis abuti decet.

Miretur quispiam quod Gellius in exemplari suo non invenit locum Georg. II 106: *quam multae Zephyro turbantur harenae.* Sed rarissimum vocabulum poeticum insolita significatione adhibere ab hoc loco alienum erat. Aperte dicit Char. 103, 22 (cf. Wilm. de M. Ter. Varr. libris gr. 184) *harena*] . . . . *cum pluralem non habeat.* Ex grammaticis posterioris aetatis, qui, sive ipsi sive per alios, Plinii libros evolvebant, Pompeius nominandus est. Is 175 sqq. tractat de isdem nominibus, quibus Gellius, quamquam hic multa huius generis leviter perstringit. Habemus apud Pompeium pulveres (Gellius l. l. § 13), quadrigae, nundinae, feriae (§ 13). Porro (Pomp. 177, 29) vina, mella (§ 13) et cetera, 'quae ad pondus vel ad mensuram pertinent' (Char. 90 et 93) cum testimoniis scriptorum.

X 11—21—24—XII 15.

Versabamur adhuc plerumque in iis locis, qui nobis vere Pliniana continere videbantur. Sed difficilius est in his capitibus Plinium agnoscere. Et eo molestior fit hic labor, quod per reliquias exiguas librorum dubii sermonis de adverbiis quid senserit Plinius vix potest indagari. Sed ne sic quidem inanis est labor, quia non modo inanes non discedimus, sed novam provinciam adiunxisse veteribus gaudemus.

Charisius (187, 20) nobis reliquit fragmentum unicum Plinianum, quod de adverbio latino est: *Plinius Secundus inter adverbia qualitatis posuit dicendo, legendo, dicendi, legendi, quae quidam amplius verba putant infinitiva vel usurpativa, de quibus et supra notavimus* (cf. 175. 25 et Lerschius II 101, 247 sqq.).

Alterum testimonium parvi pretii est, quia nititur coniectura Fabricii (Char. 222, 26): *Uniter contra grammaticorum, inquit* ⟨Plinius⟩ *observationem, qui negant oportere nomina -us syllaba terminata in -er adverbialiter flecti.*

In libris dubii sermonis de adverbio quoque a Plinio disputatum esse in propatulo est. Erat occasio de dubiis formis adverbii dicendi, de consuetudine, ratione, veterum auctoritate tractandi: qui de reliquis omnibus partibus orationis disseruit, cur de adverbio idem libris suis quaedam inserere nollet?

Unde Gellius, qui in his capitibus non ex suo hausit, doctrinam, quam de adverbiis prae se fert, desumpsit?

Dicas eum hinc vel illinc inter legendum decerpsisse. Hoc tamen idcirco credi non potest, quia et apud Nonium et apud Charisium (= Iulium Romanum) extant tam longi ordines adverbiorum, inter quae etiam Gellii permulta, ut ad uberrimos fontes confugisse et hos viros et alios veri simile sit. Iulius Romanus (saec. III in.) praeter commentatores multos etiam iis, qui Plinium compilabant, usus est, Flavio Capro, Caesellio aliisque. Itaque illius aetate copias iam comparatas et valde auctas esse apparet, si e. g. Statilii Maximi *de singularibus apud Ciceronem positis* libelli rationem habemus (Char. passim). Nonius recentiores sprevisse videtur, quia testimonia omnia ad vetustissimos et veteres pertinent, non ad novos.

Perlustranda sunt primum capita Gelliana:

X 11, 1. *mature*, 2. *praemature*, 3. *praecox* (adi.). Innexa est differentia inter *properare* et *maturare*. Testimonia sunt: 1. Nigidius, 2. Afranius. Apud Charisium 204, 25 *mature* cum test. ex Plauti Curcul., apud Nonium 150: *praecox* cum his test.: Ennius Ann. VIII, Lucilius III?, Novius; et Non. 156 cum hoc: Varro in Synephebo. Vides haec inter se tantum differre, ut Nonium a Gellio sua mutuatum esse nemo sit, qui contendat.

X 21 *novissime*. Cicero praeeunte L. Aelio Stilone hoc adverbium vitaverat. M. Cato et Sallustius usitati sunt. Sequitur sententia M. Varronis in libro de lingua latina VI. Char. 207, 30 *novissime*] *Tiro in Pandecte* (cf. Lerschius II 46) *non recte ait dici adicitque quod sua coeperit aetate id adverbium. Ubi Fl. Caper de Latinitate: miror, inquit, id dixisse Tironem, cum Valerius Antias libro II mater cum novissime aegrotasset, inquit, vovisse fertur, idem XXII quod novissime nobiscum foedus fecissent.*

Hoc est unicum testimonium Tironis, quod apud Charisium occurrit. Tiro de hoc adverbio disputavit in magno illo opere de variis atque promiscuis quaestionibus (N. A. XIII 9, 2). Sed tempore hic errasse videtur, quia Gellius Catonem et Sallustium, Caper, qui multa ex Plinio hausit, Valerium Antiatem auctores arcessit. Adhibebat Plinius hoc opus in conscribendis Naturalis historiae libris (vid. Ind.). Gellium (X 21) ex Tironis libro ipso non hausisse unde colligitur? Habebat certe cum Capro auctorem communem. At haec non sufficere ad causam dirimendam ipse intellego. Suntne igitur in magna illa sylloga adverbiorum Iulii Romani loci alii, ubi Caper Plinium exscripsit? Estne vinculum certae propinquitatis inter eam syllogam, quam Gellius ante oculos habuisse mihi videtur et eam, quam Iulius Romanus vel via recta vel per Caprum in libros suos transportavit? De his rebus infra inquirendum erit.

X 24: *Die quarto, die quinto.* Sed Cicero et Augustus (in epistulis) *diequinte, diequinti* — *dienoni* (testimonium: praetoris verba in Compitalibus),

diequarte: Pomponius, Meuia.

diequinti: Caelius, hist. II.
" *:* Caelius ex Orig. Catonis
praefiscine (-i)
proclivi (-e)
die pristini } sine testimoniis.
die crastini
dies perendini
die proximi: M. Cato, contra Furium.
die quarto: Cn. Matius in mimiambis.

Sequitur differentia inter *die quarto* et *diequarte*. Doctrina eorum, qui eandem rem attingebant — si Verrium Flaccum omittis — tota ex auctoribus Plinio aetate minoribus est desumpta (Iulium Romanum dico et Caprum), qui tamen cum Gellio ipsi multa eidem debent viro. Colligantur igitur alia fragmina:

Char. 81, 28: *nudius tertius hoc significat,* nunc est dies tertius; *item nudius quartus. Sed quaeritur de futuro utrum dicendum sit die quarto et die quinto an diequarte et diequinte, sic uti perendie cum dicitur. Sed quibusdam displicet, propterea quod cum dicimus perendie, postponimus die; cum vero diequarte, praeponimus. Sed veteres non aliter locuti sunt. Sunt enim coniuncta et nominatur per ea tempus, non numeratur, ut in illis, nudius tertius et nudius quartus* (cf. Gell. l. l. § 10 in fine).

Char. 207, 20: *nudius tertius Caecilius in Hymnide; Cicero vero Philippicarum nudius tertius decimus; Afranius in Emancipato*
nudius tertius
tute advenisti
significat autem nunc est dies tertius. *Item nudius quartus.*

Char. 212, 9: *praefiscini Titinius in Setina*
Paula mea, amabo. Pol tu ad laudem addito
praefiscini
ne puella fascinetur.
Praefiscine Afranius in Consobrinis
scis habitum ita ut nunc obtinet. Praefiscine,
per e non per i.

Char. 215, 15: *perendie, quasi perea die, quod notaverunt grammatici, quia cum de futuro dicimus, diem novissimo loco damus, non ut die quarto.*

Accedunt testimonia Nonii 153 M. et Pauli Festi 171 M. Non.: *proximi die id est proximo. Cato contra Furium: [die proximi] hoc dicit; sed eadem declinatione a veteribus et crastini et pristini et praefiscini dictum* (= Gell. l. l. § 10). *Paulus Festi: nudius tertius compositum ex* nunc *et* die tertio.

In capite Gelliano 24 l. X memorabilia sunt quaedam vestigia Plinii usus dicendi, quae apud Charisium, qui per Romanum vetustissima huius viri testimonia conservavit, crebro occurrunt. Quae

ipsa per se nihil auctoritatis habent, in his quidem rebus non spernenda sunt.

1. § 1 ab eruditis (z. Quellenanal. 261).
2. § 3 veterum consuetudo (ib. 262).
3. § 11 differentia inter 'die quarto' et 'diequarte'.

Est aliud caput Gellianum de adverbiis:

XII 15 Inscriptum est hoc caput: *Quod Sisenna in libris historiarum adverbiis huiuscemodi saepenumero usus est: celeratim?, vellicatim, saltuatim.*

Gellius ait se haec et talia in historiarum libris Sisennae legisse. Credat Iudaeus Apella! Nonium evolvas velim et praeter testimonia (Non. 87, 168, 187), quae etiam Gellius excerpsit, invenies centum alia eiusdem generis eiusdem Sisennae testimoniis ornata: 107, 16 *enixim,* 141, 20 *manipulatim,* 161, 20 *praefestinatim,* 188, 14 *vicatim,* 516, 23 *certatim,* 98, 26 *dubitatim,* 127, 32 *iuxtim.*

Neque minus Iul. Romanus (apud Charisium 194—224) ex magnis adverbiorum syllogis hausit. Et mirum est quod ea exempla, quae cum Nonianis congruunt (198, 24 *examussim,* 213, 26 *perplexim,* 221, 6 *tuatim,* 221, 9 *tractim*) isdem testimoniis Plautinis sunt instructa. Sed Nonius addidit multo maiorem numerum testimoniorum scriptorum veterum. Neque tamen habet ad voc. *tractim* aliud testimonium nisi Plauti. Hoc ideo moneo, quia apud Charisium invenitur alterum testimonium Verg. Georg. IV 260. Quo factum est, ut ex uno Sisenna duo protraherent (Teuffelius H. L. R. 156, 3). Censeo equidem hunc locum Charisii, quod apparet ex iterato voc. '*inquit*', corruptum esse et alteram partem additam vel a Romano vel ab alio.

Quis autem est ille Sisenna ab ipso Plinio laudatus (Charis. 120, 10 = 107, 14)? Vir nimirum, qui etiam versabatur in quaestionibus grammaticis. Cave credas et Sisennam historiarum scriptorem, aequalem Varronis et Sisennam Plautinarum comoediarum commentatorem fuisse.

Hoc igitur didicisse videmur Plinium Sisennae commentarios inspexisse. In ea parte Charisii, ubi Iulius Romanus de adverbiis tractat, habemus vestigia nonnulla Plinianae consuetudinis:

Char. 195, 16 *artificiose P. Rutilius Rufus de vita sua l. I.* Omnes loci Charisii et Diomedis, ubi hic Rufus laudatur, Plinii sunt (Neumannus 30). Sed alteram partem Caper a Plinio acceperit necne incertum est. Tum observavi in hoc capite adverbiorum redire bis vocabulum *hodieque,* quod Plinius in H. N. vehementer amat quodque Char. 90, 11; 110, 5[1]) a Plinio profectum esse mihi iam

1) 90, 11: *ut hodieque in Italia rusticos dicere animadvertimus.* — 110, 5: *inde effeminati hodieque in ludo syllae dicuntur, quos vulgo imprudenter* appellat.* — Unde suspicio est mihi 183, 16 Pliniana continere et propter illud *hodieque* et propter verba sequentia: *sed ridiculum est legem adversus consuetudinem ferre, quae sola in nostro sermone dominatur.* Cf. e. g. Pliniana 123, 5; 79, 3. Idem censeo de Char. 73, 19

probabile videbatur, cum de hoc loco disputavi in Quellenanal. 264 et 265 infra. Sunt enim hi loci: Char. 195, 11: *unde hodieque ampliari iudicium differri dicitur;* 215, 22: *hodieque nostri per Campaniam sic locuntur.*

Versabat igitur Iulius Romanus in conscribendo capite suo de adverbiis Flavium Caprum (de Latinitate) et per eum Pliniana in hanc syllogam irrepsisse videntur, versabat Statilii Maximi 'de singularibus apud Ciceronem positis', excerpebat Sisennae annotationes Plautinas — sed haud scio an non ipsas commentationes legerit — praeterea Aemilii Aspri et Acronis commentarios laudat et Caesellium Vindicem, Probum, Annaeum Cornutum, Terentium Scaurum, Velium Longum, Arruntium Celsum cohortem tantam, ut industriam Iulii Romani aut admireris aut suspectam habeas. Complures horum scriptorum floruisse post Gellii aetatem certo scimus. Atque praeter Statilium Maximum, qui Ciceronis adverbia rariora colligebat, omnes fere data occasione de aliquo vocabulo scripserunt. Iam supra demonstravimus extitisse excerpta ex Sisennae libris historicis (adverbia in -im), quorum Nonius partem permagnam, Gellius perexiguam adhibuit.

Vidimus etiam in capite Gelliano de *diequarte* et de aliis id genus vocabulis latere doctrinam cuiusdam, qui et apud Charisium et apud Nonium vestigia reliquit. Denique vidimus Plinium testimonium Sisennae in quaestione, quae ad grammaticam latinam pertinebat, adhibuisse, Plinium de adverbiis scripsisse, reliquisse eundem in sylloga Iulii Romani pauca huius rei vestigia.

Per hanc ratiocinationem appropinquavimus ad ultimam stationem disquisitionis a nobis institutae.

In adverbiorum ordinibus Nonianis (Schmidtius, de N. M. 115) i. a. laudantur testimonia Nigidii Figuli (item apud Gellium X 11, 1), Afranii (ibid. § 8), Pomponii (X 24, 5), Caelii (X 24, 6). M. Cato in oratione contra Furium (X 24, 10) saepius apud Iul. Romanum laudatur in sylloga adverbiorum.

Iam vero satis est: etiam Gellius excerpsit unum commentarium, ipse nihil invenit.

Addenda erant alia capita Gelliana, quae non nisi ex grammatici alicuius commentario in Gellii rivos deducta esse possunt.

Magni corporis membrum quoddam putandum est I 16 de voc. *mille*. Ut XIX 8 est de iis vocabulis, quae aut in numero singulari aut in numero plurali inveniuntur, ita hoc caput de voc. *mille* quod in singulos tantum casus inclinatur. De *mille* quid Plinius censeret, breviter et artis scriptorum consuetudinem sequens tradit Pompeius

---

(Bramb., neugest. 289): '*unde et sepulcrum* (sic) *hodieque manet*' non ad Charisii tempora, sed ad Plinii pertinent.

p. 185 adscripsitque idem testimonium (p. 186 supra), quod Gellius in fine capitis servavit. Aliud exemplum reliquit Charisius 131, 7, ubi Varronis sententia de voc. quod est *git* a Plinio illustratur. Nomini huius viri pepercit invida aetas; quae etsi multa delevit, alia tamen casu solo interierunt. Maior autem pars operis Pliniani sine dubio referta erat doctrina tam abstrusa, ut non idonea videretur, quae in vulgus exiret. Post Gellium Iulius Romanus et Caper, quae utilia sibi videbantur, excerpebant; multi alii Plinii libros versabant quidem, sed aut nomen eius reticebant aut passim, quae opus erant, adnotabant.

Quo celerius libri grammatici excerpebantur, eo breviore temporis spatio ipsi interibant. Et dolendum est quod hac ratione indagationis fundamenta sub pedibus labant.

Habemus alia capita Gelliana, quae Pliniana doctrina imbuta sunt. Quis autem in tenebris viam inveniet? Neque ultra fines progrediendum est. In silva densa et impedita viam angustam nos patefecisse speramus.

Ad certiora igitur oculos convertere praestat.

Inveniuntur Pliniana in libellis, qui vulgo inscribuntur .

1. *de nomine excerpta.* 2. *de dubiis nominibus.*

Exstat in cod. Bobiensi nunc Vindobonensi 17 saec. VIII vel IX[1]) libellus quidam inscriptus: *incipit Valerii Probi de nomine.*

Quod opusculum falso huic viro attributum esse agnovit etiam Keilius in praef. voluminis IV p. xxx, quamquam totum a Berytio abiudicare non audebat. Sed accuratius inspicienti apparet Plinii Secundi doctrinam continere hunc libellum.

Exordiamur ab argumento haud debili.

Sunt quidam auctores, quos nemo nisi Plinius arcessit in libris suis, in quorum numero etiam est Cornelius Severus.

Proficiscendum est a Char. 105, 19 loco corrupto, quem felici casu sarcire poterimus, si confugerimus ad K. V 588, 2 (*de dubiis nominibus*): *Sagum neutro genere dicitur. Sed Afranius in Deditione masculine dixit quia quadrati sunt sagi et Ennius sagus caerulus* ....

* *therva purpureis gemmavit pampinis uvis; cuius moveremur, inquit Plinius, auctoritate, si quicquam eo carmine puerilius dixisset.* Cuiusnam auctoritas Plinium movet? Cornelii Severi, cuius viri hunc versiculum esse constat ex hisce verbis (K. V 588, 2): *pampinus generis feminini, ut Cornelius purpureis geminata pampinus uvis.* Habemus igitur Severum a Plinio laudatum.

---

1) K. IV Praef. p. XII et XV.

Et hoc non semel factum esse ante omnia demonstrari oportet: Char. 81, 11: ubi testimonium est Aemilii Macri et Diom. 375, 22 cum testimonio Fabiani.

Itaque nulla causa est cur reliquos locos a Plinio abiudicemus, praesertim cum ipsis locis sint certa vestigia Plinii consuetudinis et in mediis Plinianis quasi contineantur: Char. 80, 5 *galerus*, cum testimonio Varronis 'de actione scenica' (147, 6) — 86, 7 *successor* — 100, 24 *antistita* — 107, 29 *serta* — Diom. 378, 2 *luxurior*. Hi versus omnes partes sunt carminis maioris, quod Plinius legit et excerpsit.

Sequitur 209, 6 magna illa disputatio de voc. *sal*, quam sat firmis argumentis Plinio vindicare facile est (cf. Char. 106, 12 sqq. et testimonium Fabiani). Atque, ut alia omittam, quae sequuntur 210, 6 *dies, stirps, turbo* Plinianam originem produnt propter differentias, quas dicimus, verborum (cf. Char. 144, 30 Plin.). Pervenimus ad 211, 27 *pater familias*, quem locum auctore Charisio 120, 8 nemo non Plinio addicit.

Perincommode accidit, quod is, qui confecit haec excerpta, sive quod rei eum taedebat, sive quod ipse ante oculos habebat excerpta exigua paulatim, quasi defessus sit, ad finem properare incipit. Quisquis auctor est huius syllogae, hoc certum est eam Pliniana, non Probiana continere.

Iam vero inspiciendus est *libellus de dubiis nominibus* (K. V 571 sqq.), quem integrum habes in cod. Monacensi 14252 olim Emmeramo 252 saec. IX scripto. Commiscuit vir quidam et antiquitatis et posterioris temporis doctrinam, hausit cum ex scriptoribus sacris et profanis tum ex testamentis vetere et novo.

Keilius maiorem partem ex Capro descriptam esse existimat. Etsi hoc refellere mihi non in animo est, tamen segreganda esse videntur Pliniana. Unde testimonium sumptum est Caesaris 'de analogia' (575, 11), cuius librorum Plinium invenimus perpetuum amatorem? In ea parte Charisii, ubi Iulius Romanus Plinium exscripsit, de genere voc. *crinis* disputatio est sat longa (101, 10), unde etiam desumptum est Scaevolae testimonium, quod infra habes 575, 24. Sed quid de testimonio Aemilii Macri (576, 5), quod statim sequitur, dicendum est? Hoc certe a Plinio non abiudicabis: *crocum generis neutri; sed Macer Aemilius pallentesque crocos.* Quid de illo voc. *naevus* (584, 27) cum testimonio Varronis ad Ciceronem (de L. L. libri hoc titulo apud Charisium locis Plinianis vulgo laudantur)?[1]) De voc. *pampinus* (588, 2) cum testimonio Severi poetae iam supra dictum est. Idem valet de voc. *ramus* (588, 26), de *syrma* (590, 1). Et cui voc. *scabillum* potius attribuas quam Plinio, quia hic solus Varronem in actionibus scenicis laudare potuit in excerptis Charisianis. Tum sequitur (590, 17) *strues* cum

1) Char. 139, 15 — 141, 31 — 142, 20 — 131, 7 — Diom. 375, 20 — 377, 12.

testimonio Fabiani. Quis in dubium vocare audet voc. *simpulum* (590, 26) a Plinii libris ortum esse propter testimonium Varronis ad Neronem, quod semel habes apud Charisium (130, 17), loco Plinianissimo. Sequitur voc. *sal* (591, 1) cum Fabiani testimonio, deinde, ut qui loci maxime fide digni sunt, in primo agmine collocentur, voc. *vepres* (592, 19), ubi Aemilius Macer et voc. *vectes* (593, 21), ubi Pompeius Trogus certum auctoris vestigium indicat. Et vides quam saepe factum sit, ut et Caper et Nonius vocabulum idem proferat, Plinium autem testimonium invenisse certissime appareat.

De locis quibusdam Gellianis ex Q. Claudii Quadrigarii annalibus excerptis Plinio non attribuendis.

Plinium in excerpendis scriptoribus praeter res memorabiles etiam ea, quae ad ipsam linguam latinam pertinerent, annotavisse satis apparet. Namque ex isdem scriptoribus saepissime alia in historiam naturalem, alia in libros dubii sermonis congessit. Ex iis scriptoribus, qui M. Cassium Heminam laudaverunt, antiquissimus est C. Plinius.[1] Huius annales Plinius quater commemoravit in historia naturali.[2] Sed apud Diomedem (384, 3) semel invenitur testimonium Heminae idque loco eo, ubi Plinii manum facile agnoscas; est in libro secundo, quo libro bis in naturali historia utebatur.

Vidimus locum Diomedis *de dubia verborum positione* (382, 8 sqq.) antiquioris originis esse. Scriptores, qui laudantur, non omnes grammatici adire et evolvere solebant. Habemus Brutum (383, 8), quem Plinius laudavit apud Char. 130, 15, habemus Ciceronis libros de gloria (382, 26) apud Char. 81, 13 cum Cornelio Severo et Macro (cf. etiam Char. 133, 9). Et eo minus mirandum est, quod Diomedes, vel, quod multo melius est, auctor eius, hoc loco Plinium exscribebat, quia Diomedes per illum auctorem servavit nobis maximam partem eius libri de dubio sermone, qui erat de verbis. Quod facile intellegitur, si Diom. 368, 9—378 fere perlegeris. Fortasse et alia fragmenta Heminae annalium a grammaticis vel lexicographis ex Plinii libris dubii sermonis desumpta sunt. At praestat tacere quam de dubiis et obscuris hariolari. Mihi enim constat Diomedem Plinianis, si quidem sunt, immiscuisse alienam doctrinam.

Scimus quosdam scriptores a Plinio solo adhibitos esse. Veri simile est alios scriptoris aut in libris dubii sermonis aut in naturalis historiae libris solos esse laudatos. Difficile enim est certum iudicium ferre, quia maior pars operis grammatici interiit. Interierunt etiam alia opera Pliniana, ut ignoremus, quos auctores in his libris conscribendis ante oculos habuerit. Perlustremus e. g. veteres annalium et historiarum scriptores, quorum haud pauci a Plinio — quan-

1) Peteri Vet. hist. rom. rel. I, CLXXV.
2) 18, 7; 32, 20; 29, 12; 13, 84.

tum nunc scimus — sive in libris grammaticis sive in historia naturali sive in utroque opere in usum vocati sunt.

Cato invenitur et in n. h. et in libris d. s. (Char. 101, 14), L. Cassius Hemina in n. h., fortasse in l. d. s., L. Calpurnii Pisonis libros habemus in n. h., L. Caelii Antipatri historias et Cn. Gellii annales in utroque opere (n. h. III 132, Char. 54, 25, n. h. VII 192, Char. ib.). Sed M. Aemilii Scauri et P. Rutilii Rufi commentarios frustra in n. h. quaeres; hos in l. d. s. saepissime laudatos esse supra dictum est. Valerii Antiatis annales in n. h. deprehendimus, in l. d. s. certum vestigium non est. Inprimis oculos advertamus ad Q. Claudii Quadrigarii libros. Mirum videtur quod Plinius in n. h. non commemorat hunc virum. Nec tamen contendam Plinium ob eam ipsam causam hunc auctorem etiam neglexisse in libris grammaticis. Res dignissima est, quae accuratius aliquanto fusiusque inquiratur:

Claudius cur non a Plinio in h. n. adhibitus sit etsi nemo satis firmis argumentis probare potest, unam saltem eandemque probabilem rationem proferre licet. Nihil fere erat in Claudii libris, quod multum ab aliis scriptoribus differret. Et quia Titus quoque Livius non in primo agmine auctorum suorum posuit Claudium, a Plinio, qui illius aequalem Valerium Antiatem in auctorum numero collocavit, sine ullo detrimento praeteriri potuit, quippe qui novas et inauditas quaerenti res novam materiam non suppeditaret. Iacebat neglectus et spretus Claudius usque ad Gellii aetatem. Deprompsit autem ex scriniis Claudii annales Frontonis aetas et qui eius vestigiis insistebant et qui procul eum sectabantur. Quem '*lepide*' scripsisse testatur Fronto, eum Gellius summis laudibus celebrare non satis habet neque aliorum laudes silentio praeterit.[1])

Quamquam hisce rebus perpensis facile credimus Gellium annalium Claudii perstudiosum fuisse et iterum iterumque legisse, tantum abest ut observationes et annotationes multas a Gellio ipso factas esse existimemus, ut aut dictata magistrorum edidisse aut commentarios exscripsisse nobis videatur. Neminem fallit interdum materiam, quae praesto erat, a Gellio in formam fabellae redactam esse, quod factum esse apparet II 2, IX 1, XIII 29, XV 1. Sub oculis grammatici cuiusdam confecit annotationes, quas in unum caput XVII 2 congessit. Sed cum hoc capite cohaeret I 7; inprimis conferendi sunt hi loci: XVII 2, 11 et I 7, 16 (cf. etiam XVII 2, 15 et Prisc. 475 sq., qui de eodem infinitivo disputat, quo Gellius I 7). Tum attendas, sis, Gellium XVII 2, 7 laudare epistulam Q. Metelli Numidici, quem etiam habemus XV 13 et 14 et solum apud Priscianum 382, 6, qui hoc loco de isdem rebus atque Gellius (XV 13) tractat. Neque praetereundum est testimonium C. Gracchi (I 7, 7) 'in oratione de P. Popilio circum conciliabula', cuius orationis alterum testimonium

1) XIII 29, 2—IX 13, 4—XV 1, 4; Fronto p. 114 N.

est apud Diomedem (374, 20) loco Pliniano, tertium apud Paulum Festi 241 M. s. v. *potestur*. Quod dixi Gellium dictata grammatici proferre, boc non sine causa dictum est, quia ipse confitetur se Sulpicii Apollinaris magistri sui verba tradere (XX 6, 15) et mirum est illud Claudii testimonium laudari in medio sermone, a quo facile proficisci potuit Apollinaris in legendis et interpretandis Claudii annalibus.

Loci Gelliani, qui cum Claudii nomine coniuncti sunt, licet non omnes pertineant ad grammaticam, tamen maiorem partem inserviunt ad illustranda obscura vel dubia in lingua latina obvia; haec numero sunt quindecim: I 7; I 16; I 25; II 19; V 17; V 21; VI 11; IX 13 + 14; X 1; X 13; XIII 29; XIII 30; XVII 2; XVII 13; XX 6.

Testimoniorum Claudii nunquam comites sunt scriptorum vel poetarum recentiorum exempla ut Vergilii et Horatii et Livii. Claudit agmen M. Tullius. Invenimus Catonem (Orig. I—IV), Aurelium Opilium, Varronem, Nigidium, L. Sullam, Caelium, Valerium Antiatem, Naevium, Ennium, Pacuvium, Laberium, Plautum, Terentium, Lucilium, Sallustium, Ciceronem et veteres oratores C. Gracchum et P. Africanum minorem. En habes, ut ita dicam, catalogum quendam scriptorum Frontonianae cohortis.

Inter has annotationes et ea, quae apud Diomedem inveniuntur (383), ubi etiam testimonia esse Claudii duo supra demonstravi, nulla vestigia similitudinis sunt nisi Claudii nomen bis laudatum. An est aliquid, quod Claudius apud Gellium ter cum Valerio Antiate coniunctus est (I 7; III 8; V 21), apud Diomedem (384) semel cum Cassio Hemina et apud Priscianum tres coniunctos sine intervallo habemus (347)? Neque vinculum cerno inter locos Gellianos et Nonianos. Nonius non pauca vocabula ex Claudii annalibus in compendiosam doctrinam transportavit. Quinquies autem Gellium compilatum esse ab eo dicunt. Quod miror factum esse a Nonio, qui maiorem partem testimoniorum Claudii non ex Noctibus descripsit quique ter errat in nomine (Caelium eum appellat), bis non consentit cum Gellio (Gell. XVII 2, 4 et Non. 405, XVII 2, 3 et Non. 129). Quae Nonius profert de verbo *grundire* (465) ornavit eodem testimonio Claudii atque Diomedes (383). Etsi Nonium Noctes legisse non diffiteor, mihi ad hunc diem non persuasum est Gellium a Nonio compilatum esse, etiamsi loci inter se differunt. Adhuc Plinii erat nullum vestigium satis certum in his locis Claudii annalium percensendis. Tandem Priscianus caliginem tollere videtur, qui 393, 5: *Quintus Claudius in II annalium: comprehensare suos quisque, saviare, amplexare. Cicero pro Cluentio: auctoritatem censorum amplexato — amplecto quoque pro amplector et complecto pro complector. Sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies.*

Certum est Plinium de his verbis tractasse in libris dubii sermonis (vide supra p. 15).

Nonius quoque huius generis verba cum testimoniis Claudii laudat complura (472 *cohortarent*, 475 *recordavit*, 478 *murmurari*).

Non veri simile est Caprum primum Claudii testimonia exhibuisse, quia iam Gellii aetate in usum vocabant eum grammatici. Accedit alterum testimonium Prisciani 232, 15: *Claudius in III historiarum* ....., unde pervenimus ad Plinium Secundum 'in I artium' (233, 13). Nolo plura. Nam in nonnullis rebus melius est viam ostendere et expectare quam insistere eam intempestive et aberrare.

Hoc solum pro certo affirmare ausim Plinium — quod per se probabile est — interdum ab illis interpretatoribus Claudii in usum vocatum esse, sed ipsum Plinium ex Claudii annalibus testimonia elegisse nullo argumento nititur. Veri simile est temporibus fere Hadriani, cum studium veterum scriptorum florebat, ut Caelii ita Claudii libros grammaticorum opera in usum iuventutis annotationibus instructos esse, inde fortasse Gellium, sine dubio Nonium et Caprum et per eum Diomedem et Priscianum hausisse.

Huic meae sententiae consentit, quod neque in eo capite Charisii, quod maiorem partem Plinio tribuere solemus nec aliis locis veterum grammaticorum Claudii nomen cum Plinianis coniunctum reperitur.

Operae pretium est componere, quomodo Plinius historiarum scriptores, quos legebat, distribuerit inter libros grammaticos et naturalem historiam. Dolendum est quod libri grammatici non integri, sed misere obtruncati ad nos pervenerunt. Ex illis scriptoribus, qui aeque in utroque opere adiumento esse poterant[1]), exscripsit tum pauca tum multa. Sunt igitur in

Libris dub. serm.	Nat. hist.
Cato	Cato
?	Cassius Hemina
—	L. Calpurnius Piso (c. 133)
—	C. Sempronius Tuditanus
Cn. Gellius	Cn. Gellius
L. Caelius	L. Caelius Antipater
M. Aemilius Scaurus	(n. h. 33, 21)
P. Rutilius Rufus	—
—	L. Cornelius Sulla
?	Valerius Antias
—*	Sisenna
—	Iunius Congus
?	C. Licinius Macer
—	Procilius
Cic. in ratione cons. (Ch. 146)	—
?	Tiro
—	Pomponius Atticus

1) Qui graeco sermone scripserunt, silentio praeteribo; * significat Plinium alios eiusdem scriptoris libros adhibuisse.

Libris dub. serm.	Nat. hist.
Nepos	Nepos
Varro, de gente p. r.	—
„ de rebus urb.	—
—	C. Sulpicius Galba
—	L. Arruntius
C. Oppius	C. Oppius
—*	Imp. Augustus
—*	C. Cilnius Maecenas
—	Agrippa
—*	Asinius Pollio
—	M. Messala Rufus
M. Messala Corvinus	—
apud Diomedem (365)?	Fenestella
—*	Hyginus
—	Cremutius Cordus
—	Imp. Tiberius Claudius
—	Agrippina Claudii
—	Cornelius Bocchus
—	Aufidius Bassus
—	Servilius Nonianus
—	Cn. Domitius Corbulo
—	C. Suetonius Paulinus
—	Plinius, a fine Aufidii Bassi.

Versabat igitur Plinius satis magnam copiam historiarum scriptorum, etiamsi hoc addere par est Plinium nonnullos scriptores non ipsum excerpsisse.

Sed quam paucos scriptores et — si omnes enumeramus — quam paucos locos ex hac multitudine in libros grammaticos recepit! At noli oblivisci Plinium in his scriptoribus etiam ingentem copiam oratorum invenisse, quorum orationes sive totae sive ad exiguas partes redactae materiam non spernendam ei praebebant. Namque hoc nemo credat Plinium, si praesto fuissent, omnium orationes perlecturum fuisse, ut post lectionem unam rem memorabilem sibi adnotaret.

Quid Varro non descripsit? Et Varronem Plinius penitus cognovit: legit eius opera, quae ad antiquitates, ad historiam, ad grammaticam latinam, ad agriculturam, ad sacra et instituta romana, ad poesin, ad theatrum pertinebant.

Quantam materiam praebebant hi libri et Verrii Flacci opera; quam multa testimonia et poetarum et solutae orationis scriptores percurrenti occurrebant! Accedit magnus numerus glossographorum, lexicographorum, grammaticorum, quorum copiae omnibus patebant.

Praeterea thesaurum locupletem instruebat genus illud hominum, qui commentarios ad scriptores conficiebant. Qui in tanta turba ho-

minum et librorum verum se invenire posse existimat, onus Aetna gravius suscipit.

Si testimonia scriptorum similia sunt, fontes etiam similes esse non necesse est, nisi accedant alia vestigia propinquitatis.

Circumspiciendum est num alia adiumenta arcessere possimus, quibus aut dubiis robur aut certis maiorem auctoritatem demus.

Collectionem differentiarum, quam habet Charisius p. 71—110, non a Iulio Romano ἀφορμῶν libro originem trahere olim asseveravi non dissentiente Neumanno, ut postea vidi.[1]) Atque res eiusmodi est, quae summa cum cura indaganda sit. Arte enim cohaeret cum synonymorum apud Romanos doctrina. Cuius doctrinae multis operibus maximi pretii deperditis maximeque operibus Suetonianis, quamquam magno negotio partes exiguas in lucem protrahere nobis concessum est, tamen tentandum aliquid et nitendum ut, quae habemus membra magni corporis colligantur et suo pretio aestimentur.

De synonymorum syllogis quae circumferuntur falso interdum iudicasse et iniuria eas ut ineptias suspectae originis reppulisse viros doctos probare conatus sum in Woelfflini Archiv VI 261.

Veri simile mihi videbatur priorem partem collectionis differentiarum, non alteram partem, Suetoniana continere. Subtraxi enim fundamentum Suetonianum alterius collectionis — Nigidiana illa differentia, quae est in ed. Rothiana p. 318, syllogae genuinae et integrae tribuenda non est — et Suetonianae doctrinae vestigia prioris partis indicavi. Sed quod ab exigua parte concutere adortus sum, id etiam ab aliis partibus adoriendum erat. Videor mihi munitionis, quam rei inscientia extruxit, moenia tota infringenda esse. Converti igitur ante omnia oculos ad differentias illas pseudo-Frontonianas (K. VII 519 sqq.) et ad collectionem illam magnam Isidori Hispaniensis, qui Suetonii libros versabat et excerpebat.

Ut in differentiis, quas a Suetonio abiudicabant, Suetonii manum agnoscere non difficile est, ita in differentiis pseudo-Frontonianis eiusdem viri vestigia inveni. Suetonius unus pro '*adverbii*' vocabulo utitur *praeverbio* (Char. 194, 15; 181, 17: cf. K. VII 521, 17, 24).[2]) Unde elucet eundem virum dicere non potuisse *adiectivum*, sed aliud quoddam vocabulum praeferre debuisse. Quapropter *cognomen* habet non *adiectivum* (K. VII 521, 25; 531, 9; 522, 11).

Nec praetereundum est quod ille, quisquis fuit, vocabulo '*praelativus*' utitur (521, 24, cf. K. V Pomp. 151, 21 sqq.). Sed cf. 531, 9: *celer .... recipit comparationem superlationemque* — quae vocabula

1) De differentiarum script. lat. p. 21, Neumannus p. 18, Keilius I p. XLVII.

2) Char. 194, 15: *Suetonius .... Tranquillus praeverbium putat dici debere, quod ante, alii adverbium, quod post verbum ..... ponatur.* Char. 181, 17: *Adverbium est pars orationis quae praeposita verbo significationem eius inplet atque explanat.*

primum exhibet Quintil. I 5, 45.[1]) Haec non ex semidoctorum officinis, sed ex libris grammaticis vel huius generis res continentibus propagata esse omnes intellegunt. In collectione Suetoniana (Rothii 306 sqq.) non solum differentiae sed etiam quaestiones grammaticae latinae tractantur. Nonnullae res ad antiquitates romanas, aliae ad naturam rerum pertinent. Doctrina tam varia et miscella et quasi confusanea maxime convenit in libros, quos Suetonius conscripsit veluti *Prata* et *de rebus variis*. Quamquam vix credo fore, ut unquam contingat hanc caliginem depellere, tamen non desperandum censeo, quia talia fragmenta non iam isdem, quibus ante oculis adspicimus.

Proficiscendum erit ab illa collectione Charisiana, cuius neque Iulium Romanum auctorem appellare possumus neque Flavium Caprum, ut infra ostendam.

Nuperrime de Plinio differentiarum scriptore, quem Nonius Marcellus saepissime in conscribendis suis libris adhibuit, disseruit in Journal of Philology XV 189 'the study of latin grammar among the Romans in the first century A. D.' *H. Nettleship*, professor Oxoniensis. Qui cum saepe alibi[2]) tum maxime hoc loco de Plinii differentiarum amatore disputavit:

> 'It is in any case morally certain that much of Nonius's third book (*de Indiscretis Generibus*) and of his seventh and tenth books on verbs comes ultimately from Pliny: perhaps the same may also be said of his eleventh book on adverbs. And the crowd of later grammarians, whose writing is for the most part mere scissors and parte work badly cut out and put together, are in large parts of their treatises greatly indebted to him. The same must be said of the later authors of list of Synonyms, or as they were called differentiae: for nothing is more characteristic of Pliny than the attempt to shew that differences of grammatical form often cover differences of meaning'.

Accuratius inspicienti differentiarum illam collectionem, quam supra memoravi, apparebit Plinii nomen crebro esse additum. Ubi nomen eius frustra requirimus, argumenta sunt satis gravia, ex quibus Plinium auctorem esse veri simile sit, veluti testimonia veterum, quae nemo nisi Plinius afferre solet, loci consimiles, ubi Plinii nomen legitur. Neque enim fieri potuit, ut in colligendis his differentiis diversos fontes adiret Charisius. Hoc plane alienum erat a grammaticis infimae aetatis, quippe qui unum alterumve librum

---

1) Mirum est quod in collectione magna mea sub N lit. nec alio loco eiusdem generis vocabula sunt: *inter* nitidum *et* nitentem: *nitidus* cognomen *est et recipit qualitatem et* conparationem *et* superlationem . . .

2) Vergili opera, ed. Conington I, in praefatione LXVIII sqq. Lectures and Essays, 287.

diligenter excerperent neque tamen in eadem re hinc illinc materiam congererent.[1])

Huc accedit quod non solum 'differentiae', quae l. I capite 15 inveniuntur, ex Plinii copiis desumptae sunt, sed fere omnia quae hoc capite continentur, a Plinio profecta esse videntur.

Etsi vereor ne viam mihi circumscriptam relinquam, pauca tamen ad hanc rem confirmandam in medium proferam, ut quis differentiarum sit auctor nemo addubitaturus sit.

Ac primum quidem Char. Inst. liber I 15 '*de extremitatibus nominum et diversis quaestionibus*' inspiciendus est et vestigia tam veteris quam recentioris doctrinae persequenda. Sed perdifficile est in hac congerie regularum suum cuique tribuere. Nescio quid dicam de isto more exsecrato, nobis et utili et molesto, excerpendi, excidendi, conglutinandi, retractandi, conturbandi grammaticorum infimae aetatis. Legisti in libro primo (Ch. 25, 8), ubi de declinatione ordinis tertii pauca dicit: *A littera terminata singularia neutra nulla inveniuntur nisi peregrina, ut poema, toreuma, emblema. De quibus dubitatur, quem casum gen. et abl. habeant pluraliter.* — At 52, 21 iterum profert eadem. Pag. 25, 31[2]) est de acc. plur. in *-as;* iteratur 51, 26. De neutris disputat etiam 52, 2, de communibus primum 52, 8 iterum 53, 19. Et inde a 52, 6 sua alienis immiscere coepit. Quod iam apparet ex dicendi ratione. Namque ipse amat illud *in—venire* aliaque, sed alter verbo *finiendi* uti mavult. Hoc video saltem ea, quae sunt 51, 7 '*multorum consensione*' a Charisio profecta esse (cf. Ch. 1, 8), neque vocabulum '*interim*' (fere idem est quod '*nunc*') a Charisio alienum esse (cf. 50, 16; 117, 5). Quae autem reperiuntur 52, 6—53, 19 omissis Charisianis, quae facile agnoscimus, fortasse Romano tribuenda sunt. Romanus Plinium compilavit de suo addens, quia testimonium Annii Flori Plinii esse non potest. Noli credere ea, quae Charisius dicit 25, 31 de acc. plur. in *-as,* ab ipso orta esse, licet ipse suis verbis hanc regulam explicasse videatur. Sunt eadem Plinianae originis, quod statim concedes, si eundem Charisium 145, 6 perlegeris. Exiguo spatio intermisso sequuntur (p. 54) Pliniana. Auctor Charisii vestigia Plinii premit, Charisius ipse fere totus cedit. Antiquae doctrinae reliquiae non integrae traduntur. Hinc illinc emergitur grammaticus alius quidam, veluti 62, 20 (cf. 53, 26), 63, 31 (cf. *efferre per*). Sed 65, 6 in Pliniana incidis, quia Aemilii Macri laudatur testimonium. Itaque quidquid aut de suo aut de alio quodam intexit Charisius, quidquid mutavit in excerpendo auctore suo, dubitare possumus — et hoc in tali farragine ignoscendum est — errare vix possumus. Et haec est causa, cur inde a pagina 52, 6—71

---

1) Sic in capite 'de analogia' Romanum, in capite 'de adverbiis' (Ch. 194 sqq.) iterum Romanum sequitur Charisius, licet hic illic pauca ab aliis adeptus sit.

2) Zur Quellenanalyse des Charisius S. 257.

multo plura Plinio vindicanda sint quam ad hunc diem vindicare ausi sunt viri docti. Facilius est Pliniana separare a reliquis, quam Charisiana ab iis, quae Romanus scripsit, discernere. Cum — ut exemplis utar — p. 51 in mediis Charisianis versari videamur, suspicio est Romani quaedam vocabula sibi arripuisse artis scriptorem. Veluti 51, 20 '*quae—veterem caliginem dissipent*' nos admonent de similibus, quae sunt p. 191, 13: *loci namque si fuerit adverbium ..... per se nihil faciet nec ullam poterit significationis expedire caliginem* .... Et inde venio ad illud '*namque*' secundo loco positum, quod 51, 8 antecedit. Praeterea didici genetivum '*rectae rationis*', quem olim haesitans Plinio dandum esse censui[1]) Romani potius vocabulario adscribendum esse (cf. 194, 13 *rectae constitutaeque rationis*). Itaque genus dicendi in eiusmodi scriptis adiuvare nos in dubiis et debet et potest, sed quanto consilio circumspiciendum sit, mihi persuasum est aliosque a me non oportere moneri in re notissima elucet. Dissimilitudo, quae est in usu verborum vel temporum vel modorum[2]) non nisi materiae undique conquisitae et conportatae imputanda est. Accedit, quod in cap. 15 '*Vergilius*', non '*Maro*' appellatur clarissimus ille poeta. Et ipse aliud argumentum addidi.[3]) Intellexi enim voc. '*frequenter*' in hoc capite saepius, in cap. 17, ubi Romanum fideliter exprimit Charisius, uno loco 139, 19 inveniri. Denique intellexi voc. '*frequenter*' ibi occurrere, ubi Pliniana deprehenderemus. Verum esse igitur apparet plura esse Pliniana in hoc capite quam vulgo putant et, ni omnia me fallunt, integriora i. e. ex fonte puriore tradita. Certaverunt de huius capite origine atque auctore complures viri cum magna doctrina tum mira sagacitate (Neumannus 5 sqq. et imprimis Boelteus in Fleckeis. annal. 1888, 401 sqq.). Sed prudentissime agit Neumannus (p. 9) qui: *adquiescendum est ita, ut dicamus caput 17 saltem et 15 ad eundem fontem redire.* Profecto non recta via ad veritatem accedimus. Et decet tantorum virorum indagationes, quae nos adhortentur et sublevent, summopere laudare. Nostra autem non multum interest investigare, quis nucleum nobis servaverit Plinianae doctrinae, siquidem sanum eum et incorruptum depromere et tradere doctis viris vires nostrae non abnuunt.

Pliniana incipiunt 52, 6—53, 19, sequuntur alia fere inde a 54, 8—58, 26. Venimus ad levioris doctrinae vestigia 58, 26—60, 18. Pergunt Pliniana 61, 1—62, 20. Intexta est rursus pars obscurae auctoritatis, quamquam hic illic veteris auctoris manum cernere haud difficile est. Veteris doctrinae reliquias subesse testantur fragmenta, quae in capite 17 asservantur, assimilia. Tum Pliniana sunt, quae inveniuntur inde a 65, 6—16. Excipiunt haec anonymi cuiusdam

1) Zur Quellenanalyse S. 259 infra.

2) Vide e. g. quae dixi de usu coniunctionis *quamquam* in disputatione Zur Quellenanal. S. 260.

3) Zur Quellenanalyse S. 261.

observationes. Conferas e. g. 65, 27 (*ut puta*) et 35, 22; 67, 7 (*in communionem venire*) et 28, 28, tum 68, 27 (*inconfuso statu permanente*) et 64, 16 (*suo statu permanere*). Denique '*per—efferre*' non Plinii proprium est sed Palaemonis.[1]) Sed satis habeo haec signa alienae doctrinae indicasse. Non dubito, quin paucula Pliniana inter haec lateant, quod eo comprobare possumus, quod in capite 17 eadem sub Plinianis nominatim vocantur (cf. e. g. 64, 26 *turbo* = 144, 30). Locos similes congessit Schottmuellerus, de Plinii lib. gram. 21: dimidiam fere partem horum locorum sine ulla dubitatione Plinio tribuere licet. Et ne quis me verba, non argumenta proferre arguat, ea, de quibus non dubitandum est, quin Plinii sint, primum proferam.

Char. 71, 27 forum, Plinii sunt propter Gellii rerum scriptoris testimonium, de qua re legenda sunt verba Neumanni 27 sq.

Char. 72, 17 ocimum, eiusdem propter Aemilii Macri testimonium (Neumannus 31; Plinius N. H. 19, 117).

Char. 73, 12 = 125, 3 (Schottmuelleri lib. de Plinii sec. libr. gramm. 39).

Char. 77, 5 balteus Plinii.

Char. 77, 14 clipeus Plinii. Sequuntur Pliniana (Char. 79, 2).

Char. 80, 5 galerus Plinii sunt, propter testimonium Cornelii Severi (cf. Char. 81, 16 et supra p. 25).

Char. 81, 11 sibilus, Plinii propter Macri testimonium (cf. et Char. 105, 19 in adn.).

Char. 82, 22 acer, Plinii = Char. 114, 2 (Pliniana). Attendas sis etiam haec: '*quod quoniam offendit aures*' = Char. 123, 5: '*suavitati aurium censet* (Plinius) *summam esse tribuendam*' et conferas velim disp. Zur Quellenanalyse S. 61.

Char. 85, 6 gibber Plinii.

Char. 88, 16 vertex Plinii.

Char. 90, 4 panis = Char. 141, 20 (Neum. 20, 27) inter Pliniana ad litteram digesta. Praeterea Plinius Caesaris 'de analogia' libros solet adhibere (Schlitteus, de Plinii sec. stud. gramm. 8).

Char. 95, 30 ficus = 128, 20 Plinii.

Char. 100, 9 Arabs = 123, 8 Plinii.

Char. 100, 14 amphora (Keilii addenda 608 ad 56) Plinii.

Char. 100, 26 intiba Plinii propter testimonium Aemilii Macri.

Char. 101, 17 insomnia (Neumannus 24 sq.) Plinii.

Char. 102, 4 lac (Neum. 26 sq.) Plinii.

Sed quid plura enumerare opus est? Num miraris permulta alia in hoc capite latere Pliniana? Neque collectio illa differentiarum fluxit ex eo fonte, qui est Charisio cum Diomede communis, Flavio Capro, siquidem Diomedes, qui omnino paucas nec nisi ex prioribus notissimas (cf. p. 376 inter '*fatigatum*' et '*fessum*') diffe-

1) Zur Quellenanalyse des Char. S. 258.

rentias habet, plane ea caret.[1]) At, dicat quispiam, inter ea, quae Charisius 71—110 tradit, inveniuntur pauca, quae in libellis '*de orthographia*' et '*de dubiis verbis*', quos Capri esse vulgo dicunt, leguntur (Neum. 14 sq.). Quae ut verissima sunt, ita facile explicanda. Caper isdem fontibus quibus is, qui haec sibi collegit, usus est. Capri nomen his locis non invenies (cf. G. L. K. I index script.).

Perperam igitur lacunam (Char. 77, 20) Capri nomine supplere conatus est Fabricius, quem fugit illud argumentum sat grave. Idem tamen etiam '*quare Plinius dubii sermonis*' coniecit, quod unum recte se habere Neumannus 25 demonstravit.

Differentiae plerumque non, ut postea videbimus, nude sunt positae, sed testimonia veterum addita sunt. Saepius nobis contingit, ut, quae breviter hic enarrantur, eadem ex Nonio suppleamus, e. gr.:

Non. 71, 12 *contagium veteres magis usurpaverunt; sed Sallustius contagionem maluit dicere, 'post ubi contagio — immutata'. Vergilius autem 'nec mala—contagia laedent'* (Beda 268 K. VII).

Nonius 199 *contagio feminino genere appellatur. Sall. 'post ubi contagio'. Contagia neutro. Lucretius lib. III 'quandoquidem —contagia morbi'. Vergilius 'nec mala—contagia laedent'.*

Haec ex eodem fonte fluxisse nemo non vidit, nisi quod Lucretii testimonium in Charisii exemplari deest.

Sequuntur differentiae:

Char. 71, 16 *servitium multitudo est servorum, servitus condicio serviendi; sed veteres indifferenter servitium et pro servitute posuerunt:*

'Servitio enixae tulimus' Vergilius in III (Beda 291).

Non. 226. *servitus generis feminini. Servitium neutri. Attius Clytemestra 'scibam—et servitii finem dari'.*

Char. 71, 20 *tergum dorsum est ..... tergus autem pellis 'huius tergoris' facit ..... Sed contrario Vergilius ..... Quidam volunt 'tergum' hominis esse, 'tergus' vero pecoris* (Char. 146, 3).

Non. 227, 414, 459, sed inprimis 414: *tergora dicuntur coria: Verg. Aen. I 'tergora diripiunt costis'. Terga dorsa: Verg. VIIII 'hinc raptas fugientibus ingerit hastas in tergum'. Lucilius XXVIIII ..... Tergum scutum .....*

Char. 71, 27 *forum neutro genere dicimus locum rebus agendis destinatum, vel cum commercium significamus; et Lucilius ..... masculine autem tabulata navium, et semper pluraliter, quamvis Gellius fora navium neutraliter dixerit et Lucilius negotiorum forum masculine extulerit libro III ....*

Haec Plinii esse iam supra expositum est. Non. 206, qui tamen ex fonte uberiore hausit, idem habet testimonium Lucilii lib. III (Non. 428, 447, Beda 272).

1) De diff. script. lat. p. 21.



Char. 72, 1 *callum neutro genere dicitur: Cicero Tusc. II 'ipse labor quoddam callum obducit' et Plautus in Milite*

'magis tabello, quam prunum callum callet'.

Sed Marsus fabellarum VIIII masculino sic,

'. . . . callum sibi pectore quendam'.

Differentia inter utrumque genus fuisse non videtur. Marsus poeta a Plinio Secundo inter fontes l. XXXIV n. h. enumeratur.

Char. 72, 6 *lignum singulariter dici semper debet in multitudine. Cato Originum I 'vehes' ait 'ligni', sicut et fasces dicuntur asparagi, quamvis asparagos pluraliter dicamus, ut Lucilius III:*

'asparagi nulli'

idem in eodem ligna pluraliter dicit

'student hi ligna videre'.

Char. 72, 12 *caelum hoc, cum sit neutrum, etiam masculine veteres dixerunt et Ennius*

'quem caelus genuit'

item

'quamquam caelus profundus'.

Non. 197 *caelum neutro. Masc. Lucretius: 'quis pariter caelos omnis convertere et omnis | ignibus aetheriis terras sufferre feracis?' Varro, rer. div. . . . . . Ennius: 'fortis Romani, quamquam caelus profundus'. Idem: 'Saturno, quem Caelus genuit'.*

Sed apud Charisium aliqua exempla intercidisse videntur, quae apud Nonium inveniuntur.

Sequitur voc. *ocimum* (Beda 282), quod testimonio Aemilii Macri (Neum. 31) Plinianum esse apparet (Non. 550 *ocimum, quod ocimum dicimus*). Excipit hoc vocabulum observatio de adiectivis in *-eus*, cuius altera pars est 73, 21 et de numeralibus, cuius pars est 73, 3, ea sc., quae in medium protulit de num. ordin. *quintum tricensimum*. Adiecta est (74, 2) differentia inter *eboreum, eboratum, eburnum:*

Char. 73, 21 *eboreum ratione dicimus, ut a 'marmore', 'marmoreum', et a 'pumice' 'pumiceum'; sed consuetudo etiam 'eboratum' admisit et 'eburnum'. Vergilius . . . . . quae ita placuit distingui ut eboreum sit ex solido ebore confectum, eboratum extrinsecus ebore ornatum, eburnum ad similitudinem eboris aptatum, ut Vergilius sensit.*

Char. 72, 23 *mendum neutraliter Varro in Admirandis dixit, ... sed Ovidius feminine . . . . . item 'eximet ipsa dies omnis e corpore mendas'. Ergo mendum in mendacii significatione dicetur, menda in culpa operis vel corporis* (Beda 280). Nonius 214 etsi alia testimonia profert, in significatione constituenda eandem viam secutum esse apparet.

Veteris doctrinae specimen habes observatiunculas de vocabulis *pistrinum* (Ch. 72, 30), *pulmentum* et *pulmentarium* (Ch. 73, 7), *pulcrum* (sic) (Ch. 73, 17). Inest etiam locus, quem per Plinium ex Iulio Modesto excerptum ad nos pervenisse scimus collato Charisio 125, 3. At de his locis subtilius disputare nunc supersedeo, quia inprimis maiores res pertractandae sunt.

Char. 76, 21 *cubicularius est custos cubiculi, cubicularis vero lectus cubiculo aptus, ut 'caligarius artifex', 'caligaris clavus', similiter ars, fabrica et iulius fabrius(?). Et cellarius servus, turdus cellaris; et balnearius fur, balnearis autem urceus et solea balnearis. Unde perspicuum est Calvum ad amicos non recte dixisse 'ne triclinarius', cum triclinaris dicere maluisset* (Beda 266).

Haec vocabula non uniuscuiusque sunt provinciae. Quis non agnoscit Plinii manum in vocabulis '*caligaris clavus*' (Plin. N. H. 9, 69 et 22, 94)? Et non supervacaneum est addere locum Plinianum 147, 7, ubi idem Calvus laudatur.

Char. 77, 5 *balteus masculino genere semper dicitur, ut 'clipeus' . . . . Vergilius . . . Plinius tamen vult masculino genere 'vinculum' significare, neutro autem 'lora ad ligandum apta'. Sed Varro in Scauro 'baltea' dixit et Tuscum vocabulum ait esse. Item humanarum XVIII* (Neum. p. 26).

Char. 77, 11 *curriculus masculine deminutio est 'currus', neutraliter autem curriculum spatium ad currendum aptum vel ipsum currendi officium, ut Cicero et Varro locuntur* (Beda 266).

Supplenda sunt ex Nonio 198 *curriculum neutro genere. Cicero Timaeo* . . . . — et 263 *curriculus, ut consuetudo fert, a 'curru' deminutio est: [et] dicitur brevissimum vehiculi biroti genus. Curriculus, cursus. Varro in Epistola ad Iulium Caesarem* . . . . .

Char. 77, 14 *clipeus masculino genere in significatione 'scuti' ponitur, ut Labienus ait, neutro autem genere 'imaginem' significat. Sed Asinius pro Urbiniae heredibus imaginis clipeum masculine dixit,* . . . . . *Et Livius in significatione scuti neutraliter saepius et Pomponius in Capella, cum ait* . . . .

Quare ⟨Plinius⟩ dubii sermonis II indistincto genere ait, sed littera differre, ut pugnatorium per i clipeum dicamus, quod est clipeus ἀπὸ τοῦ κλέπτειν, id est celare, dictus, imaginem vero per u a cluendo. Sed haec . . . . . .

Perlegenda est disputatio Neumanni p. 25, qui et de Plinii auctore et de controversia, quae est inter haec verba et ea, quae Plinius ipse N. H. 35, 3, 4 (13) tradit, breviter dilucideque disseruit. Asinius Pollio (Char. 77, 15) auctor Plinii est compluribus locis (Char. 134, 3; 146, 31).

Post multa Pliniana[1]) sequitur differentia:

Char. 81, 3 *munificus est tam quam 'beneficus' et 'maleficus', munifex autem tam quam 'opifex' et 'artifex'. Itaque 'munificus' munera largitur, 'munifex' autem munere fungitur* (Beda 280) — Sequitur Plinianum *sibilus*.

Char. 81, 26 *divinitus cum dicimus, ex dei mente factum significamus; divine vero, cum laudamus.*

---

1) Accedunt nova Pliniana, quorum certissima sunt *caseus, loculus, catinus, galerus* (Cornel. Severus!), *calamistrus*.

Char. 83, 16 *heber et hebriacus ne dixeris* .... *'hebrius' et 'hebria'* .... *'hebriosus'que* .....

De his vocabulis Nonius 108 conferre possis; idem 444 de differentia inter *ebrium* et *ebriosum*, unde in differentiarum thesauro haec orta sunt: *inter ebrium et ebriosum hoc interest, quod 'ebrium' ad tempus multum bibisse significat, 'ebriosum' vero semper multum bibentem demonstrat.*

Aut omnia me fallunt aut haec suo loco depulsa sunt:

Zunächst die wiederholte Behandlung desselben Themas ist in diesem Fall gänzlich unanstöfsig; auch einzelne Widersprüche konnten sich in Werken, die für ein verschiedenes Publikum bestimmt waren, leicht einschleichen. Ferner der verschiedene Standpunkt, den er gewissen Dingen gegenüber einnimmt. Gewifs konnte er auf mehr Erfolg rechnen, wenn er in Athen die Athener lobte, in Sparta dieselben tadelte, in Sparta den Agesilaos und Lykurgos lobte u. s. w.

Auf diese Weise endlich scheint auch die merkwürdige Erscheinung erklärlich, dafs fast sämtliche Schriften Xenophons ohne Einleitung sind. Wenn sie fürs Vorlesen an verschiedenen Orten bestimmt waren, so mufste selbstverständlich die Einleitung immer verschieden sein und vom Augenblick eingegeben werden; waren sie für die Herausgabe bestimmt, so sind die Anfänge mit δὲ und ἀλλὰ (s. oben S. 122 Anm.) unerklärlich.

Also Xenophon ein wandernder Sophist?

Ja — wo ist überhaupt von ihm etwas überliefert? Wie lange er herumgezogen, wo er gestorben u. s. w., ist völlig ungewifs; dafs er noch 355 gelebt, geht aus den Πόροι und dem Hieron hervor; die Nachrichten des Diogenes über die Lebenszeit scheinen ebenso wie die über sein Verhältnis zu Sokrates erfunden. Zuletzt hat er jedenfalls noch die einigermafsen zusammenpassenden Schriften — so gut es ging — verbunden und herausgegeben. Vielleicht auch ein Enkel aus seinem Nachlafs. — Doch lassen hier die Quellen gänzlich im Stich.

Indem ich glaube, auf einen ausführlichen Index über die vorliegende Arbeit verzichten zu dürfen, will ich doch noch eine gedrängte Inhaltsübersicht und eine kurze Zusammenstellung der Hauptergebnisse derselben hier folgen lassen. — Dabei sei zugleich auch der Bitte Ausdruck gegeben, den letzten Abschnitt mehr als eine Art Extrakt aus einer gröfseren, nachzuliefernden Abhandlung ansehen zu wollen, in welcher die hier angedeuteten Ansichten des weiteren ausgeführt und mit noch mehr Belegstellen begründet werden sollen. —

I. Analysis der Memorabilien.
Die Memorabilien sind zusammengesetzt aus einer Anzahl ursprünglich selbständiger, zu verschiedenen Zeiten und zu verschiedenen Zwecken abgefafster Einzelschriften.

II. Kurze Analysis der übrigen sokratischen und der sog. kleinen Schriften Xenophons (mit Ausnahme des Kynegetikos).
Dieselben stehen, wie die vergleichende Betrachtung lehrt, nach Inhalt, Darstellung, Sprache und Umfang auf derselben Stufe der Vollendung resp. Nicht-Vollendung wie die Memorabilien-Schriften. Die „kleinen" Schriften unterscheiden sich von den sokratischen nur dadurch, dafs sie nicht auf Sokrates bezogen sind. — Bemerkungen über das Verhältnis der Kyrupädie zu den Memorabilien.

III. Sokrates und Xenophon. Eine nähere Bekanntschaft beider Männer gehört in den Bereich der Fabel.

IV. Nachweis einiger Quellen, die Xenophon in seinen philosophischen Schriften benutzt. Für die sokratischen hauptsächlich Platon, daneben Antisthenes (Dümmler). Aufserdem vielleicht auch den Isokrates.

V. Über die Abfassungszeit der xenophontischen Schriften. Mit Ausnahme der Anabasis und des Kynegetikos (die überhaupt nicht berücksichtigt sind) fallen mit Wahrscheinlichkeit sämtliche Schriften Xenophons in die Jahre von ca. 370—350.

VI. Xenophon hat seine sämtlichen Werke in ihrer urspünglichen Anlage nicht als Schriften im engeren Sinne sondern als Reden ausgearbeitet und sie selbst durch mündlichen Vortrag als ein wandernder Sophist in Griechenland verbreitet.

VALERII PROBI

DE NOMINE LIBELLUM

PLINII SECUNDI DOCTRINAM CONTINERE

DEMONSTRATUR.

SCRIPSIT

OSCAR FROEHDE,

DR. PHIL.

In codice olim Bobiensi nunc Vindobonensi XVII libellus grammaticus extat, qui inscribitur: 'Incipit Valerii Probi de nomine'. Quem qui primi ediderunt Iosephus ab Eichenfeld et Stephanus Endlicher Analecta grammatica p. 215 (Vindobonae 1837) 'Valerii Probi de nomine fragmentum' nominaverunt, cum Henricus Keilius Grammatici latini IV p. 207 'Valerii Probi de nomine excerpta' publicaret. De auctore huius libri, qui doctrinam satis antiquam et subtilem continet, sententiae discrepant. Nam cum in codice libellus Valerio Probo tribuatur, quem nobilissimum Neronianae aetatis grammaticum M. Valerium Probum Berytium intellegemus, tamen iam editores Vindobonenses praefat. p. XI fragmentum non a Probo ipso scriptum esse iudicaverunt, sed pro excerptis habendum esse factis e diversis Probi opusculis, nominatim etiam ex eius libro 'de generibus'. Quam sententiam Osannus symb. litt. II p. 259 amplexus est, nisi quod de libro de generibus dubitavit. Probi nomen recte traditum esse Lerschius ephem. stud. antiq. 1843 no. 80 p. 633 s. statuit — nimis quidem confisus adiectivo 'probus proba probum' § 25 = 211, 6 K. exempli loco posito — at non de Berytio agi, sed propter consensum cum Probi Institutis artium de Probo recentiore, quem quarti saeculi artis scriptorem Osannus invenerat. Neque de Probi libro de generibus cogitari posse vir doctus censet, cum libelli doctrina et ad genus nominum et ad formationem atque declinationem spectet, sed maximam partem ex libro 'de inaequalitate consuetudinis' a Charisio laudato fluxisse. Hoc quamquam ingeniose invenit de anomalia potissimum in hoc libello quaeri, tamen erravit, quod a Berytio librum 'de inaequalitate consuetudinis' abiudicavit, de quo in commentatione *De C. Iulio Romano Charisii auctore* supplemento XVIII horum annalium inserta in capite altero exposui. Neque viri docti defuerunt, qui Probi de nomine excerpta Probo Berytio vindicarent. Quae Graefenhanius hist. philol. IV p. 155 (cf. 226) fragmentum uberioris Probi Berytii operis de nomine esse opinatur, quod anomaliam tractaverit sicut liber de inaequalitate consuetudinis. Item Keilius gram. lat. IV praef. p. XXX et Symbola philol. Bonnens. p. 99 doctrinam antiquam maxime ad genus nominum pertinentem ad Probum Berytium revocare studet, sed non ita, ut Probus ipse libri auctor sit, sed ut excerpta habeamus maximam partem ex maioribus artium institutis collecta, quamquam sint quae recentiore aetate addita sint. Idem profitetur argumentis se sententiam

suam probare non posse, nisi eo quod de nomine salis similia atque Prob. p. 209, 6 legantur apud Priscianum gram. lat. II p. 171, 8. Sane Priscianus paulo post p. 171, 14 totum caput de generibus claudens ad Caprum et Probum auctores suos provocat, sed in salis vocabuli exemplis cum Probo non conspirat. Denique Steupius *de Probis grammaticis* (Ienae 1871) p. 175—177 de nomine excerpta a Probo prorsus abiudicavit, cuius nomen praepositum sit, quia in eodem codice Instituta artium Probi recentioris sequantur. Immo haec excerpta esse ex variis libris grammaticis: ex Probo recentiore vel Diomede Charisio Sacerdote Sergii explanationibus in Donatum.

Ego cum nuper scriberem *de C. Iulio Romano Charisii auctore*, inveni disputans in capite altero et de Plinio p. 629 et de Probo p. 612 mirum in modum Probianum libellum cum Charisii capite XV libri primi in quaestionibus dubii generis vel dubiae declinationis conspirare. Quas cum Charisium Romano debere ostendere conatus sim, Romanum autem Plinio, Probi quoque doctrinam ad Plinium revocandam esse censui. Hanc sententiam meam nunc plenius persequar. Dignissima enim mihi res esse videtur, in quam accuratius inquiratur, cum non solum de Charisio et de Probi excerptis de nomine agatur, sed de omnibus artium scriptoribus latinis, qui mire cum his grammaticis consentiunt, quorumque auctores nondum compertos habemus. Itaque in re tam gravi quam difficili a viris me doctioribus peto, ut sine ira et studio sententiam meam examinent. Quattuor autem capitibus quaestionem propositam solvere studebo. Primo disseram de Probi libelli indole, altero de Charisii cum Probo consensu, tertio de Plinio Charisii et Probi auctore primario, quarto de ceterorum grammaticorum cum Probo consensu.

Caput I.

DE PROBI LIBELLI INDOLE.

Probi libellum cum viri docti plurimi pro excerptis haberent, quaesiverunt, num ea ex uno Probi libro an ex compluribus eiusdem grammatici an ex diversis grammaticis exscripta sint. Quae cum ita sint, primum doctrinam fragmenti ab uno eodemque auctore repetitam esse ostendam, cum et terminos technicos et rationem scribendi et res narratas et scriptores laudatos respiciam.

Terminis technicis cum idem auctor ad eandem notionem exprimendam variandae dictionis causa variis utatur, cumque alii grammatici eosdem terminos usurpare possint, auctor libelli iis solis indagari nequit. Sed quantum auxilii afferant ad originem doctrinae cuiuslibet cognoscendam, in Palaemone vidimus, quem Schottmuellerus *de C. Plini Secundi libris grammaticis* p. 9 in Charisio

deprehendit ea potissimum observatione nisus hunc grammaticum in exemplis afferendis velut particula uti, quem Marschallius *de Q. Remmii Palaemonis libris grammaticis* p. 20 dictionis praecipue habita ratione per totum Charisium persecutus est. Liceat igitur dictiones grammaticas colligere, quibus probabilitate quadam eundem auctorem eorum Probi articulorum cognoscas, in quibus iterentur. Legimus[1]):

finire: p. 207, 2 nominativus finitur litteris XIII 207, 16 nomina nominativo or syllaba finita 207, 29 neutra nomina us litteris finita 208, 23 nomina pluralia ia litteris nominativo finita 208, 33 si um syllaba genetivum finiamus 209, 32 quaecunque nomina simplicia inanimalia Romana ... nis syllaba finiuntur 210, 1 quia lychnis nis syllaba finitur 213, 32 quaecunque apud Graecos ros syllaba finiuntur 214, 19 in nominibus neutris u finitis

terminare: 207, 9 ablativus terminatur 208, 19 quaecunque nomina neutra us litteris terminantur 209, 2 ergo genetivum rum syllaba terminemus 209, 3; 4 item nomina neutra pluralia a terminata littera casu nominativo, haec genetivo plurali rum syllaba terminantur 210, 8 quaecunque nomina ablativo casu numero singulari e littera producta terminantur 211, 1 sunt quaedam nomina in us litteris terminata 212, 36 quae nominativo singulari x littera terminantur 214, 35 quae x littera terminantur 215, 30 nomina generis feminini us litteris terminata 215, 36 quae x littera terminantur

exire: 208, 2 quae similiter in ris syllabam exit 208, 6 quod genetivo singulari in i exeant 211, 7 quae in nominativo singulari in as litteras exeunt 211, 10 quae in o exeunt nominativo 213, 30 quaecunque nomina Graeca in us exeunt 213, 33 in er syllabam exibunt 214, 5 omnia nomina generis masculini monosyllaba dativo et ablativo plurali in bus syllabam exeunt 215, 6 quaecunque nomina masculina plurali numero apud Graecos in ρων syllabam exeunt 215, 32 nomina quae in tas litteras exeunt

claudere: 209, 3 ut reliqua Latine claudantur 212, 18 omnia nomina masculina nominativo singulari or syllaba clausa

mittere: 208, 24 omnia nomina pluralia ia litteris nominativo finita genetivum in ium syllabam mittunt 208, 27 comitia quae genetivo plurali missa in um 209, 5 dativum et ablativum in is syllabam mittunt 213, 30 haec vocativo in eu mittuntur

habere: 207, 11 quaecunque nomina nominativo singulari i litteram habuerint ante ultimam syllabam 207, 23 quaecunque nominativo casu ante s litteram habuerint u geminum 213, 33 quaecunque apud Graecos ros syllaba finiuntur, si in eadem syllaba antecedentem alteram consonantem habuerint 213, 35 si autem unam consonantem in eadem syllaba habuerint

---

1) In altero capite meo totum Probi libellum expressum invenis, ut singulos locos, quos nunc afferam, persequi possis.

facere: 207, 15 hoc dolium hoc folium, huius dolii huius folii facit 207, 19 memor, quod potest adverbium facere memoriter 207, 28 vetera, ut genetivo plurali veterum non veterium faciat 208, 16 fecisset vulgus non vulgum 208, 33 si um syllaba genetivum finiamus et faciamus cibarium 209, 8 non enim geminata l genetivo huius sallis facit 209, 30 alii a nominativo hic tapes dicunt, qui facit hos tapetas 211, 2 nomina in us litteris terminata, quae ex se bina adverbia faciunt 211, 12 masculus dicitur, non mascel, ut genetivo masculi, non masceli faciat 211, 14 masculino genere singulari numero hic oenoferus, non oenofer facit 211, 18 fastus... huius fasti facit. item fastus ... huius fastus facit 212, 32 sarcire farcire, ex quibus fiat sartor non sarcinator 213, 7 est enim deus ut meus reus et deis facere debet ut meis reis 213, 10 at cum participium, huius amicti facit 213, 14 ornatus, cum nomen est, huius ornatus facit 214, 5 excepto vir, facit enim viris 214, 37 quare genetivo huius regis et non recis aut per se ipsam x ut rexis facit 215, 8 ut est Ἑκτόρων Νεστόρων, facit Hectorum Nestorum 215, 20 facit enim huius Iovis 216, 2 ut genetivum faciant 216, 6 ut faciant calxis cruxis faxis

flectere: 209, 9 non idem genetivo flectitur salis sicut mellis et fellis 209, 15 flectitur ergo, ut masculino genere possit esse sic uti sol 211, 4 mobilia autem quae per duo genera flectuntur

declinare: 208, 21 ris syllaba adsumpta declinantur ut pecus pecoris 210, 35; 36 declinatur ut virgo. at cum proprium hominis nomen est, declinatur ut Cato 213, 9 amictus vestis, cum nomen est, declinatur hic amictus huius amictus 213, 27 duo sic declinantur ut ambo 214, 26 nomina quae primis partibus declinantur 214, 28 item secundis partibus declinantur 214, 29 item utraque parte declinantur 214, 31 Ianius dicitur, non Ianus, et declinatur hic Ianius huius Ianii

declinatio: 209, 28 apud Vergilium tapetas masculino genere invenimus ... a nominativo hic tapeta, cuius declinationis ablativus pluralis apud ipsum Vergilium est 'pictisque tapetis' 214, 9 senaria forma est, quae omnes VI casus in declinationibus habet dissentientes 215, 27 Chremes regulam declinationis triplicem habet

mutare: 208, 2 quae similiter in ris syllabam exit, sed u in o mutat, ut nemus nemoris 211, 29 sed Sisenna, scriptor historiarum, primus mutasse dicitur pater familiae dicendo 215, 6 haec translata in Latinum ων in um mutant 215, 10 Graecum o in Latinam i litteram mutamus

crescere adcrescere decrescere: 208, 3 utraque syllaba crescunt 208, 7 nec syllaba crescunt 211, 8 per ceteros casus in tis syllabam adcrescunt ut Asprenas Asprenatis 212, 37 adcrescant necesse est genetivo singulari, ut calx calcis 215, 18 cum omnia nomina genetivo singulari syllaba crescant aut aequata nominativo conveniant, tamen Iuppiter et calamus in genetivo decrescunt

custodire: 208, 25 sed Lucretius metrum custodiens rationem regulae excessit 212, 34 vitiose senis, quamvis illud auctoritas erudita custodiat 215, 7 non magis se quam litterarum numerum custodire videntur

significare: 209, 10 sed ab ea origine venit, ut significet iocos 210, 12 hodie, quod significat hoc die 210, 14 qui spatium diurnae lucis significantes τὴν ἡμέραν masculino genere dixerunt 210, 20 dies, cum praesens tempus significat, generis est masculini 210, 24 masculino, cum radices arborum significare vult 210, 30 turbo, cum puerilis lusus instrumentum significat, masculini generis est 210, 34 at cum procellam significat, feminini generis erit 212, 5 fassi autem praeterito tempore confessos non fatigatos significat 215, 15 sed cum singularem numerum sonat, alicuius rei acumen significat

sonare: 209, 1 dativo vero et ablativo non sonat Latina finitio 215, 3 melius in sonum vocis horum nominum regula sonare conspicitur 215, 14 sed cum singularem numerum sonat, alicuius rei acumen significat

animam habentia anima carentia: 209, 31 quaecunque nomina simplicia inanimalia Romana, id est anima carentia, nis syllaba finiuntur 214, 35 nomina monosyllaba masculina animam habentia 215, 36 monosyllaba anima carentia

aptota: 208, 19 virus autem aptoton est 215, 22 nomina aptota masculina, id est quae per omnes casus, tam singulares quam plurales, similiter aptantur.

Apparet eosdem terminos per totum Probi libellum iterari. Itaque nihil Steupii sententiae tribuerim diversos fontes variis terminis technicis deprehendi. Invenit enim vir doctus p. 208, 19 et 215, 22 'aptota' legi contra 214, 22 'monoptota'. Sane scriptor dictionem variavit. Idem recentiorem auctorem cognovit in lusu etymologico: p. 215, 22 'nomina aptota masculina, id est, quae per omnes casus tam singulares quam plurales similiter aptantur'. Quid? nonne p. 209, 32 similia leguntur: 'quaecunque nomina simplicia inanimalia Romana, id est anima carentia, nis syllaba finiuntur' et p. 215, 20 'sed haec et alia anomala appellantur, id est quae per casus deficiunt'? Eundem in modum Steupius de mira quaestione orthographica p. 212, 4 'fetigati an fatigati?' iudicat. Sed haec simillima est ceteris quaestionibus v. i. Neque solum de orthographia agitur, sed etiam de significationis (v. i.) differentia, quae inter fassos et fatigatos intercedit. Denique Steupius miratur p. 208, 30 dignitatem comitum commemorari, quae re vera non commemoratur. Dignitas hoc loco est vis (cf. 208, 28) vel significatio. Ceterum facile concedo ab excerptore recentioris aetatis novos terminos technicos adhiberi potuisse.

A terminis technicis pergo ad rationem, ad quam doctrina libelli refertur, et ad formam, in quam redigitur. Rationem dico analogiam et anomaliam, quam plurimum in hoc libello valere iam

Lerschius exemplis collectis ostendit. Quaeritur igitur de ratione regula analogia vel de usu et consuetudine vel de auctoritate et veterum exemplo his locis:
208, 4; 5 inveniuntur tamen II nomina, quae ab hac ratione dissentiant, id est pelagus et vulgus, quae apud poetas masculino genere ponuntur, ea ratione, quod genetivo singulari in i exeant 208, 15 nam si neutrum, illa utique ratione dixisset, quod nominibus neutris tres casus similes serviant 208, 26 sed Lucretius metrum custodiens rationem regulae excessit 208, 33 si um syllaba genetivum finiamus et faciamus cibarium, non ipsius nominis regulam sonumve complectimur 209, 7 in obliquis casibus analogia dissolvitur 210, 13 observabimus tamen secundum veteres hanc differentiam 211, 19 sindo generis masculini est usu magis, quam ratione certa 211, 27 pater familias ab antiquis dicebatur 212, 10 nasus hic an hoc nasum? antiqui neutraliter dicebant 212, 16 sine dubio ratio definitione sua perseveranter nititur 212, 21 consuetudo quidem hoc scrupulum, erudita vero hunc scrupulum dixit 212, 25; 26 post cuius (Ciceronis) auctoritatem nemo dubitaverit hunc scrupulum dicere, et quod in eiusmodi quaestiunculis nihil potest analogia 212, 30; 31 salitor an saltor? quod salitorem erudita consuetudo et proba auctoritas indicat, salitor dicimus. alioquin ratio analogiae pro altero est 212, 33 sartor, non sarcinator, quo modo rude vulgus dicit 212, 34 vitiose senis, quamvis illud auctoritas erudita custodiat 213, 1 vitiose ergo loquuntur qui dicunt senis, quamvis pro his consuetudo pugnet 213, 6 deis ratione dicitur quam dis 215, 1 nunc Gaius c littera servata veterum consuetudine scribitur 215, 3 melius in sonum vocis horum nominum regula sonare conspicitur 215, 16 cum vero pluralem, litterarum indicat nomen, cuius locutio in consuetudine est.
Regulae generales, quae apud Probum leguntur, duplicem speciem praebent. Altera est haec:
207, 16 omnia nomina nominativo or syllaba finita aut masculina sunt 208, 23 omnia nomina pluralia ia litteris nominativo finita genetivum in ium syllabam mittunt 211, 3 omnia nomina aut fixa sunt aut mobilia 212, 17 quae omnia nomina masculina nominativo singulari or syllaba clausa feminino genere trix syllaba definit 212, 35 omnia autem vocabula sive masculina sive feminina, quae nominativo singulari x littera terminantur 214, 4 omnia nomina generis masculini monosyllaba dativo et ablativo plurali in bus syllabam exeunt 215, 18 cum omnia nomina genetivo singulari syllaba crescant.
Altera regularum forma haec est:
207, 11 quaecunque nomina nominativo singulari i litteram habuerint ante ultimam syllabam, haec genetivo singulari eandem duplicant 207, 23 quaecunque nominativo casu ante s litteram

habuerint u geminum, generis sunt masculini 208, 19 quaecunque nomina neutra us litteris terminantur nominativo casu singulari, in genetivo us amittunt 209, 31 quia quaecunque nomina simplicia inanimalia Romana, id est anima carentia, nis syllaba finiuntur, generis sunt masculini 210, 7 quia quaecunque nomina ablativo casu numero singulari e littera producta terminantur, generis sunt feminini 213, 30 quaecunque nomina Graeca in us exeunt, haec vocativo in eu mittuntur 213, 32 quaecunque apud Graecos ros syllaba finiuntur ... apud nos in er syllabam exibunt 215, 5 quaecunque nomina masculina plurali numero apud Graecos in ρων syllabam exeunt, haec translata in Latinum ων in um mutant.

Cum regulae generales has formas ostendant, tituli singulas res tractantes saepius quaestionis formulam usurpant ita:

210, 6 dies cuius generis sit quaeritur. quidam putant generis feminini esse (cf. 209, 6 sal quidam putant generis esse neutri) 211, 27 pater familias an pater familiae? 212, 1 criminosus an criminator? 212, 4 fetigati an fatigati? 212, 6 minister an ministrator? 212, 10 nasus hic an hoc nasum? 212, 14 podagrosus an podagricus? 212, 16 sponsor an et feminino genere dicatur sponstrix? 212, 21 scrupulus hic an et hoc scrupulum? 212, 30 salitor an saltor? 212, 34 senecis an senis? 211, 33 crepido hic an haec crepido magis dici debeat, dubitant non nulli.

Alii tituli sine quaestionis formula quaestionem affirmative proferunt, ut statim inter duas formas rectam indicent, ita:

207, 27 veteria non dicuntur, sed vetera 211, 12 masculus dicitur, non mascel 211, 13 oenoferi, non oenofera 211, 15 urcei masculino genere, non neutro dicuntur 213, 6 deis ratione dicitur quam dis 213, 8 ebrius dicitur, non eber 214, 31 Ianius dicitur, non Ianus.

Denique moneo vocabula, quibus exempli loco positis regulae illustrantur, per totum libellum ut particula afferri velut:

207, 2 ut Sisenna 207, 16 ut honor 207, 20 ut 'dicitur Cato se occidisse' 207, 24 ut servus 208, 1 ut vulnus 208, 24 ut moenia 209, 6 ut mel 209, 33 ut finis 210, 8 ut ab hac re 211, 2 ut navus 211, 6 ut vir 211, 8 ut Asprenas 212, 18 ut cultor 212, 37 ut calx 213, 31 ut hic Atreus 214, 11 ut hic doctus 214, 26 ut tribunus plebis 215, 11 ut ἐμβλήματος 215, 23 ut nequam 215, 24 ut oleaster 215, 30 ut Venus 215, 32 ut pietas.

Ratio igitur scribendi unum totius libelli auctorem luce clarius prodit.

Res grammaticae, quae in Probi libello tractantur, quamquam primo obtutu tantam varietatem praebent, ut singuli articuli cohaerere non videantur, tamen qui paulo accuratius legit facile sentit eas eundem auctorem redolere. Omnes enim tituli cum de nomine agant, duplex eorum sententia est: aut generales nominis

regulas continent aut quaestiones de singulis nominibus. Generales regulae aliae declinationem et casuum terminationes docent aliae genus nominum. Prioris generis sunt articuli: p. 207, 2 de terminationibus numeri singularis et de genetivo singulari vocabulorum ius et ium terminantium 207, 29 de genetivo singulari neutrorum us finitorum 208, 23 de genetivo plurali neutrorum 211, 7 de masculinis in as et e exeuntibus 213, 30 de nominibus Graecis eus et ros clausis 214, 4 de dativo plurali monosyllaborum masculini generis 214, 7 de formis casualibus 214, 26 de membris compositorum 214, 35 de monosyllabis masculinis x finitis 215, 5 de masculinorum genetivo plurali Graeco et Latino 215, 22 de nominibus aptotis. Cum in plurimis his regulis ratio simul generis habeatur, de genere solo dicunt tituli: 207, 16 de or terminatis 207, 23 de uus finitis 211, 3 de nominibus fixis et mobilibus 215, 24 de nominibus arborum 215, 30 de femininis us clausis 215, 32 de compluribus femininis. Restant duo tituli generales p. 207, 20 de nomine et verbo atque p. 211, 1 de nomine et adverbio (cf. 207, 16 memoriter). Quaestiones singulares eundem auctorem habent, cum regulae universae eiusdem generis in his quoque occurrant, velut:

209, 31 finis generis est masculini, quia quaecunque nomina simplicia inanimalia Romana, id est anima carentia, nis syllaba finiuntur, generis sunt masculini, ut finis crinis cinis panis amnis; quibus similis cum sit finis, generis erit masculini. 212, 16 sponsor an et feminino genere dicatur sponstrix? sine dubio ratio definitione sua perseveranter nititur, quae omnia nomina masculina nominativo singulari or syllaba clausa feminino genere trix syllaba definit, ut cultor cultrix, victor victrix. quo modo sponsor feminino quoque genere dicetur sponstrix. 212, 34 senecis an senis? vitiose senis, quamvis illud auctoritas erudita custodiat. est enim nominativo singulari hic senex. omnia autem vocabula sive masculina sive feminina, quae nominativo singulari x littera terminantur, adcrescant necesse est genetivo singulari ut calx calcis . . . itaque senex fiet senecis.

Agitur autem in quaestionibus singularibus de declinatione de genere de significatione atque formatione de constructione. Ad declinationem pertinent quaestiones p. 207, 27 veteria vetera 211, 12 masculus mascel 211, 27 pater familias pater familiae 212, 34 senecis senis 213, 6 deis dis 213, 8 ebrius eber 213, 9 amictus amicti 213, 14 ornatus ornati 213, 27 duo ambo 214, 31 Ianius Ianus 215, 18 Iuppiter Iovis 215, 27 Chremes. Ad genus spectant quaestiones p. 209, 6 sal pumex silex cortex 209, 27 tapeta 209, 31 finis 210, 6 dies 210, 23 stirps 210, 30 turbo 211, 13 oenoferi 211, 15 urcei 211, 17 fastus 211, 19 torques sindo 211, 21 quali 211, 24 freni 211, 32 crepido 212, 10 nasus 212, 16 sponsor 212, 21 scrupulus 213, 18 flos 213, 22 sutilis 214, 33 ficus 215,

13 apex. Ad significationem atque formationem referendae sunt quaestiones p. 211, 31 aeger aegrotus 212, 1 criminosus criminator 212, 4 fetigati fassi 212, 6 minister ministrator 212, 14 podagrosus podagricus 212, 30 salitor saltor 213, 3 venter alvus uterus. Denique de constructione agitur p. 213, 11 expertus aliquam rem expers alicuius rei 215, 26 peritus iuris consultus iure. Has quaestiones inter se fontis communitate coniunctas esse inde evincitur, quod declinationis tituli p. 213, 9 et 213, 14 simul significationem respiciunt, et generis tituli p. 210, 23 atque 215, 13 simul significationem, p. 209, 27 simul declinationem, p. 210, 30 atque 211, 17 declinationem et significationem tractant.

Denique de scriptoribus a Probo laudatis disserendum est. Per totum libellum eadem ratione Vergilius citatur nomine modo addito modo omisso. Nam omnes versus, qui poetae nomine carent, Vergilii sunt. Nomine addito citatur p. 208, 9; 10; 12; 13. 209, 17; 27; 29. 210, 4; 5; 15; 19; 22; 23; 25; 27; 29. 211, 24; 26. 213, 18; 19 (bis); 20; 37. 214, 3. Nomen poetae deest: 207, 26. 209, 19 (ter). 210, 32; 34. 211, 18; 22. 213, 16; 23. 215, 15. Saepius Cicero legitur: p. 211, 23; 211, 34 in Oratore; 212, 8 oratione secunda pro Cornelio; 212, 12; 212, 22 pro Sexto Roscio cum mentionem Chrysogoni facit; 212, 24 pro Cluentio 215, 26 (cf. 214, 33). Praeterea occurrunt:

Cornelius Severus rerum Romanarum libro I 208, 16
Lucretius 208, 25 (pro Horatio) 212, 10 (pro Lucilio)
Lucilius 209, 10 (cf. 212, 10)
Sallustius 209, 12
Horatius Flaccus 209, 13 (cf. 208, 25)
Fabianus causarum naturalium 209, 21 (bis)
Afranius Liberto 209, 24
Messala 211, 28
Sisenna 211, 28
Terentius 212, 27; in Eunucho 213, 21
Varro 214, 33 (pro Cicerone).

Ex accurata citandi ratione p. 212, 22 apparet auctorem doctrinae Probianae Ciceronem ipsum legisse, quod bene in Plinium quadrat, qui apud Charisium saepe Ciceronem laudat. Ter autem error factus est, cum p. 208, 25 Lucretius pro Horatio (cf. Charis.), p. 212, 10 Lucretius pro Lucilio (cf. Keilii adn.), p. 214, 33 Varro pro Cicerone legatur. Hoc non excerptoris culpa factum esse videtur, cum in Charisio p. 95, 27 idem Ciceronis locus de orat. II 69, 278 Varroni tribuatur. Ubi Keilius comparato Charisio p. 128, 28 lacunam indicavit, ut verba Ciceronis falso Varroni antea nominato tributa essent. Verisimile est iam in antiquissimo Plinii codice hoc mendum fuisse. Denique nonnulla fragmenta hoc libello solo servata esse iam editores Vindobonenses p. XI et Steupius p. 175 adn. 56 monuerunt: Ciceronis orationis secundae pro Cornelio p. 212, 8; Lucilii

p. 212, 10 (ubi codex 'Lucretius' exhibet); Cornelii Severi ex libro I rerum Romanarum p. 208, 16; Afranii ex Liberto p. 209, 24.

Probi libellum ad unum auctorem revocandum esse demonstravisse mihi videor. Quem ab hoc non scriptum, sed ex hoc exscriptum esse turbatus titulorum ordo et abbreviandi excerptoris studium docet. Sane Steupius duos ordines invenit titulorum cognatorum p. 211, 32—213, 5 et 214, 4—216, 7, si excipias quaedam. Sed hoc excerptoris consilio factum esse videtur, qui articulos nonnullos in fonte cohaerentes deinceps posuit. Diversi auctores inde non recte efficiuntur. Brevissimam autem in excerptorum formam regulas auctoris redactas esse cum ex comparatione cum ceteris grammaticis apparet, qui uberiorem copiam ex eodem fonte manatam praebent, tum ex nimio abbreviandi studio, quo regulae depravantur. Velut p. 211, 7 regula de nominibus propriis o finitis statuitur verbis nimis generalibus: *nomina masculini generis, quae in o exeunt in nominativo, per omnes casus eadem littera efferuntur.* Deinde p. 214, 33 legitur: *ficus Varro masculino genere dixit ita 'de ficu se suspendit'. cuius ablativus masculini generis est.* Quid ultima verba sibi volunt? Denique in exitu libelli brevissime diversa feminina adduntur p. 215, 30 *nomina generis feminini us litteris terminata, ut Venus anus humus* et 215, 32 *nomina, quae in tas litteras exeunt, ut pietas ... item in tus ... aut in e ... aut in cus ... aut in nys ... aut monosyllaba.* Item excerptoris neglegentia eo cognoscitur, quod regula, quae p. 207, 29 de us finitis neutris statuitur, in exitu eiusdem tituli iteratur, et quod tractatus de salis genere p. 209, 16 doctrina de pumice silice cortice interrumpitur.

Caput II.

DE CHARISII CUM PROBO CONSENSU.

Postquam Keilius in Probi editione Charisianos locos cum Probo conspirantes adnotavit luculentissimos, Steupius l. l. quinque locos Probi enumeravit, qui ex Charisio excerpti sint: Prob. 215, 5: Char. 52, 27 Prob. 215, 26: Char. 82, 5 Prob. 212, 34: Char. 144, 3 Prob. 209, 27: Char. 62, 3 Prob. 214, 33: Char. 95, 27. Ego in commentatione *de C. Iulio Romano Charisii auctore* in capite altero de Plinio disserens p. 629 locos Probianos et Charisianos ad genus spectantes comparavi, quos Plinio vindicem. Nunc Probi libellum cum Charisio conferam ita, ut toto libello Charisii locos cognatos adscribam, cum in adnotatione ceteros grammaticos addam, de quibus mihi quarto capite disserendum est.

Valerii Probi de nomine libellus.

207, 2[1]) Nominativus finitur litteris XIII, vocalibus V, id est a e i o u, ut Sisenna monile sinapi Cicero veru, semivocalibus VI, id est l m n r s x, ut consul scamnum flumen Caesar Livius silex, mutis duabus, id est t et c, ut caput lac; genetivus tribus, id est s i e, ut Catonis magistri Musae; dativus III, id est i o e, ut agili docto scholae; accusativus IIII, id est m s t e, ut hominem funus caput monile; vocativus VII, a e i m r x o, ut Musa monile Livi scamnum Caesar silex Cato: sed in generibus neutris similis est nominativo. (207, 9)[2]) ablativus terminatur vocalibus V, ut ab hac schola, ab hoc monile, ab hoc agili, ab hoc docto, ab hoc veru; item m s et r, ut nequam nugas instar. (207, 11)[3]) quaecunque nomina nominativo singulari i litteram habuerint ante ultimam syllabam, haec genetivo singulari eandem duplicant, ut hic Mercurius huius Mercurii, hic Vergilius huius Vergilii: sic etiam in neutris, ut hoc dolium hoc folium, huius dolii huius folii facit et cetera.

207, 16 Omnia nomina nominativo or syllaba finita aut masculina sunt, ut honor, aut feminina sunt, ut arbor, aut neutra, ut aequor, aut communia, ut melior.

Loci ex Charisii arte grammatica.

51, 21 omnia igitur nomina quibus universa dictionis silva copiosa est non plus quam per duodecim ultimas litteras finiuntur, quinque vocales, a e i o u, sex semivocales, l m n r s x, unam mutam, t.

23, 11 item quae ante us syllabam i habent sic declinantur geminata i in genetivo, ut hic Concordius huius Concordii ... item quae ante um habent i similiter declinantur geminata i in genetivo, hoc studium huius studii et reliqua.

30, 4 or masculina et feminina et neutra inveniuntur, hic praetor, haec uxor, hoc marmor robor aequor.

---

1) Diomed. gram. lat. I p. 492, 24. 303, 3 Donat. IV 379, 17 Pompei. V 199, 5.

2) Prob. inst. art. IV 75, 2.

3) Char. I 71, 2. 141, 6. 78, 4 (Plinius) 122, 6 (Plinius) Diomed. I 306, 7 Prob. cathol. IV 8, 33 Sacerd. VI 473, 32.

(207, 18)[4]) solum omnis generis invenitur memor, quod potest adverbium facere memoriter.

114, 23 omnia quae per or terminantur in comparationem non veniunt. memoriter ex eo fit quod est memor.

207, 20[5]) Ad nominativum casum verba accedunt dicitur fertur nominatur, ut 'dicitur Cato se occidisse', 'fertur Pompeius in litore Aegypti iacuisse', 'nominatur Augustus inter quosdam'.

207, 23[6]) Quaecunque nominativo casu ante s litteram habuerint u geminum, generis sunt masculini, ut servus equus arduus corvus cervus torvus. sed alvus sola geminatur, ut 'curvam compagibus alvum'.

207, 27[7]) Veteria non dicuntur nominativo, sed vetera, ut genetivo plurali veterum, non veterium faciat.

60, 9 unde manifestum fit vetera dici, non veteria.

207, 29—208, 22[8]) Neutra nomina us litteris finita nominativo genetivum in duas formas acuunt. una est, quae u litteram genetivo in e transvertit et ris adicit syllabam, ut vulnus vulneris holus holeris. altera est, quae similiter in ris syllabam exit, sed u in o mutat, ut nemus nemoris, pecus pecoris, pectus pectoris; sed utraque syllaba crescunt. inveniuntur tamen II nomina, quae ab hac ratione dissentiant, id est pelagus et vulgus, quae apud poetas masculino genere ponuntur, ea ratione, quod genetivo singulari in i exeant et huius pelagi vulgi, sicut bulbi, faciant, nec syllaba

146, 12 us litteris finita neutri generis genetivo adaeque singulari ris finiuntur, ut operis oneris; exceptis vulgo et pelago, quod interdum vulgus masculini sit generis, pelagus commune cum Graecis.

74, 19 nam cum omnia neutralia faciant genetivum per ris, sola haec tria (pelagus vulgus virus) genetivum faciunt per i, quamquam de vulgo ambigitur. invenitur enim et masculine elatum, ut apud Vergilium in II 'hinc spargere voces in vul-

4) Excerpta Bob. I 556, 39 Char. 136, 19.
5) Diomed. I 310, 1.
6) Non. 193, 21 alvus.
7) Prob. inst. art. IV 71, 38 Char. I 125, 3 (Plinius).
8) Char. I 21, 15 Excer. Bob. I 538, 33. 548, 17 Priscian. II 274, 21 Prob. cathol. IV 21, 5 Cledon. V 40, 22 Consent. V 345, 14 De dub. nom. V 593, 13 Cap. VII 111, 1 Comment. Einsidl. sup. 238, 13 Serv. in Verg. Aen. I 149 II 39 Non. 230, 17 vulgus.

crescant. ideo autem pelagus dissentire videtur, quia Graecum est. nam vulgus, cum sit Latinum, non debet inter neutra genera poni; melius enim inter masculina poneretur: quamquam Vergilius et masculino 'spargere voces In vulgum ambiguas' et neutro dixerit 'tum vulgus et omnem Miscet agens telis n. i. f. t.', neutro item genere 'scinditur incertum studia in contraria vulgus' et 'saevit animis ignobile vulgus'. ad hoc ergo genus accusativum masculinum posuit, non neutrum: nam si neutrum, illa utique ratione dixisset, quod nominibus neutris tres casus similes serviant, et fecisset vulgus non vulgum. et Cornelius Severus rerum Romanarum liber I dixit 'pelagum pontumque moveri'. virus autem aptoton est. quaecunque nomina neutra us litteris terminantur nominativo casu singulari, in genetivo us amittunt et aut o aut e recipiunt et ris syllaba adsumpta declinantur, ut pecus pecoris, nemus nemoris, vellus velleris, aut is, ut viscus visceris, cibus ciboris.

gum ambiguas'. sed idem et neutraliter in I 'saevitque animis ignobile vulgus'. meminerimus autem pelagus et vulgus tantum modo singulariter declinari itemque virus.

208, 23—209, 5[9]) Omnia nomina pluralia ia litteris nominativo finita genetivum in ium syllabam mittunt, ut moenia Hilaria Compitalia Vestalia comitia, horum moenium Hilarium Compitalium et cetera. sed Lucretius metrum custodiens rationem regulae excessit, qui ait anciliorum, non ancilium. inter haec ergo nomina sola distant comitia, quae genetivo plurali missa in um non

62, 13 Lucretius tamen ait 'unde animale genus' ... Horatius 'anciliorum et nominis et togae'.

9) Char. I 143, 19 (Plinius) Serg. explan. IV 538, 29 Donatian. VI 276, 21.

vim nominis magis quam loci nomen adsignant, ut horum comitium, et dativo vel ablativo his comitibus, quasi de propriis nominibus definiat dignitatem. quapropter hoc vim quandam nominibus secretionis videmur inferre in genetivo plurali, ut comitiorum, non comitium dicamus, et comitiis, non comitibus. eodem modo cibaria constant. si um syllaba genetivum finiamus et faciamus cibarium, non ipsius nominis regulam sonumve complectimur, quam magis alterius, quod est sordidum; dativo vero et ablativo non sonat Latina finitio. non enim possumus dicere cibaribus. ergo genetivum rum syllaba terminemus, id est cibariorum, ut reliqua Latine claudantur. item nomina neutra pluralia a terminata littera casu nominativo, haec genetivo plurali rum syllaba terminantur, dativum et ablativum in is syllabam mittunt, ut arma castra exta sarmenta et similia.

52, 17 nam neutra quae semper pluralia sunt, si ante novissimam syllabam i litteram habeant, genetivo per um, dativo per bus syllabam finientur, veluti Saturnalia Saturnalium Saturnalibus. nam arma castra exta, quia non habent i ante a syllabam, dativo casu is finientur: armis enim et castris et extis dicemus.

209, 6[10]) Sal quidam putant generis esse neutri, ut mel fel. quod si ita est, in obliquis casibus analogia dissolvitur. non enim geminata l genetivo huius sallis facit, quomodo mellis fellis. quod si una l refertur, non idem genetivo flectitur salis, sicut mellis et fellis, sed ab ea origine venit, ut significet iocos, et ideo sales masculini generis est, ut apud Lucilium 'ore salem expiravit

106, 12 sal masculini generis est nec habet pluralem. nam et Sallustius ita usus est, 'neque salem neque alia inritamenta gulae quaerebant'. sed Fabianus causarum naturalium II neutraliter dixit, 'cur sal aliud perlucidum, aliud inquinatum aut nigrum? quia sal ex arido congelatum est'. idem etiam pluraliter dixit 'haerescunt infusi sales', cum

10) Priscian. II 147, 2. 171, 8 Prob. cathol. IV 8, 23 Serg. explan. IV 542, 12 Sacerd. VI 473, 21 Cap. VII 102, 1. 111, 10 Ars Bern. sup. 111, 27 Non. 223, 11 salis.

amarum', et apud Sallustium 'neque salem neque alia inritamenta gulae quaerebant', et apud Horatium Flaccum 'parochi quae debent ligna salemque'. flectitur ergo, ut masculino genere possit esse sic uti sol; sed genetivo casu solis producitur, salis corripitur. (209, 16)[11]) pumex masculini generis est, ut Vergilius 'latebroso in pumice nidi'. silex cortex masculino genere dicuntur; apud antiquos feminina erant, ut 'stabat acuta silex' et 'silice in nuda' et 'musco circumdat amarae Corticis'. sal Fabianus causarum naturalium neutro genere dixit 'cur sal aliud inquinatius vel nigrius? quia sal e luto congestum est': idem masculino pluraliter 'protinus crescunt effusi sales': Afranius Liberto 'meum sal si bene visum mihi' genere neutro.

pluraliter facetias tantum significari grammatici tradiderint. et Varro de poetis II 'nunc vides in conviviis ita poni sal et mel'. quod genus etiam Verrio placuit.

209, 27[12]) Apud Vergilium tapetas masculino genere invenimus, ut 'pulchrosque tapetas', a nominativo hic tapeta, cuius declinationis ablativus pluralis apud ipsum Vergilium est, 'pictisque tapetis'. item alii a nominativo hic tapes dicunt, qui facit hos tapetas; sed lectum nusquam est.

61, 29 hoc tapete dicimus ... quam declinationem Vergilius ... sequitur ... sed et hoc tapetum ... nam et sic quoque Vergilius declinat dicens '... pictisque tapetis'. sed et masculino genere dicit 'pictosque tapetas'. cuius nominativum faciunt quidam hic tapes, qui facit hos tapetas; quod ego, quia nusquam scriptum puto, nequaquam probo.

209, 31—210, 5[13]) Finis generis est masculini, quia quae-

101, 8 clunes feminino genere dixit ... sed Verrius Flaccus ma-

11) Priscian. II 164, 12; 24 Serg. explan. IV 493, 6 Pomp. V 159, 34. 160, 19 De dub. nom. V 586, 3. 591, 4 Cap. VII 111, 3 Comment. Einsidl. sup. 235, 31. 237, 17 Serv. in Verg. Aen. VIII 233 buc. VI 63 Non. 225, 18 silex 199, 25 cortex.

12) Prob. inst. art. IV 129, 25—130, 10 Serg. explan. IV 541, 26 Non. 229, 5 tapete.

13) Excerpt. Bob. I 555, 25 Prob. inst. art. IV 124, 16 Serg. explan.

cunque nomina simplicia inanimalia Romana, id est anima carentia, nis syllaba finiuntur, generis sunt masculini, ut finis crinis cinis panis amnis; quibus similis cum sit finis, generis erit masculini. ideo autem dicimus Romana, quia lychnis nis syllaba finitur et est generis feminini; sed Graecum est: ideo simplicia; invenitur enim bipennis figurae compositae et generis feminini est: et ideo inanimalia, quia sunt iuvenis et canis, quae sunt generis communis. Vergilius autem utroque genere dixit, ut 'haec finis Priami fatorum' et 'hic finis fandi'.

sculino genere dici probat, quoniam nis syllaba terminata anima carentia nominativo singulari masculina sint, ut panis cinis crinis et similia.

210, 6[14]) Dies cuius generis sit quaeritur. quidam putant generis feminini esse, quia quaecunque nomina ablativo casu numero singulari e littera producta terminantur, generis sunt feminini, ut ab hac re et ab hac spe, item ab hac die. contra plerique masculini generis esse dixerunt, quia neque in numero neque in qualitate femininum genus recipit: numero sic, paucos dies, non paucas dicimus; qualitate, quia dies festos et non festas dicimus. potest tamen in adverbio genus deprehendi, ut hodie, quod significat hoc die. observabimus tamen secundum veteres hanc differentiam, qui spatium diurnae lucis significantes τὴν ἡμέραν masculino genere dixerunt, ut Vergilius 'nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset ille dies'; feminino autem genere absolute tempus, 'quam nec longa

110, 8 dies communis generis est. qui masculino genere dicendum putaverunt has causas reddiderunt, quod dies festos auctores dixerunt, non festas. et quartum et quintum Kalendas, non quartam et quintam; et cum hodie dicimus, nihil aliud quam hoc die intellegitur. qui vero feminino catholico utuntur, quod ablativo casu e non nisi producta finiatur, et quod deminutio eius diecula sit, non dieculus, ut ait Terentius 'quod tibi addo dieculam'. Varro autem distinxit, ut masculino genere unius diei cursum significaret, feminino autem temporis spatium; quod nemo servavit. nam et secundum distinctionem dixit Vergilius 'venit summa dies', id est tempus, et 'ille dies primus leti' pro uno die. tamen et feminino genere diei spatium significat, cum ait 'exspectata dies aderat'.

IV 528, 34 Cap. VII 101, 19 Comment. Einsidl. sup. 237, 25 Serv. in Verg. Aen. II 554 Non. 205, 5 finem.

14) Prisc. II 158, 11. 365, 13 Prob. inst. art. IV 89, 19 Serv. in Donat. IV 434, 13 in Verg. Aen. V 783 Pomp. V 190, 29 De dub. nom. V 577, 23.

dies pietas nec mitigat ulla'. dies, cum praesens tempus significat, generis est masculini; cum praeteritum aut futurum, feminini, ut 'donec longa dies profecto temporis aevo'.

210, 23 [15]) Stirpem Vergilius et masculino et feminino genere dixit: masculino, cum radices arborum significare vult, ut 'stirpem Teucri nullo discrimine sacrum'; feminino, cum ad progeniem refert, ut 'heu stirpem invisam' et 'stirpem admisceri Phrygiam'.

109, 17 stirps in significatione sobolis feminino genere dicitur, ut ait Vergilius 'heu stirpem invisam'; sed cum materiam significat, masculino, 'imo de stirpe recisum', item 'sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum sustulerunt'. dixerunt tamen etiam in significatione sobolis masculino genere, ut Pacuvius ...

210, 30 [16]) Turbo, cum puerilis lusus instrumentum significat, masculini generis est, ut 'ceu quondam torto volitans sub verbere turbo q. p. m. i. v. a. c.' at cum procellam significat, feminini generis erit, ut 'ater quos aequore turbo Dispulerat', et declinatur ut virgo. at cum proprium hominis nomen est, declinatur ut Cato.

144, 30 Turbo Turbonis, si proprium sit hominis nomen; turbinis, si procellam voluerimus exprimere, aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum. sed Caesar de analogia II turbonem, non turbinem etiam in tempestate dici debere ait, ut Cato Catonis, non ut homo hominis.

211, 1 [17]) Sunt quaedam nomina in us litteris terminata, quae ex se bina adverbia faciunt, ut navus nave naviter, largus large largiter.

211, 3 [18]) Omnia nomina aut fixa sunt aut mobilia. fixa sunt, quae in suo statu permanent, ut vir mulier; mobilia autem, quae per duo genera flectuntur, et sunt

113, 22 in adverbiis primi gradus, quae in e proferuntur, sunt quattuor haec excepta, quae contra regulam proferuntur per r, ut naviter humaniter largiter duriter: quae quamvis antiquitati adsignent grammatici, tamen dicunt etiam secundum suam rectam analogiam proferri posse, ut nave et ignave humane large dure.

15) Cledon. V 40, 4 Consent. V 345, 28 = 346, 30 Beda VII 291, 18 Ars Bern. sup. 122, 26 Comment. Eins. sup. 238, 1 Serv. in Verg. Aen. III 94 VII 99 XII 208 Non. 226, 29 stirpem.

16) Char. I 64, 26 Priscian. II 207, 17 Beda VII 293, 14 Albin. VII 311, 21 Ars Bern. sup. 111, 20 Serv. in Verg. Aen. VII 378.

17) Excerpt. Bob. I 556, 14 Char. I 116, 10. 79, 10. 101, 1. 204, 22 Diomed. I 406, 33.

18) Diomed. I 328, 25 Donat. IV 376, 1 Pomp. V 163, 34 Consent. V 346, 14.

propria, ut Cornelius Cornelia. appellativa autem per III genera moventur, ut probus proba probum.

211, 7 Nomina masculini generis, quae in nominativo singulari in as litteras exeunt, per ceteros casus in tis syllabam adcrescunt, ut Asprenas Asprenatis, Maecenas Maecenatis, Atinas Atinatis. (211, 10)[19]) nomina masculini generis, quae in o exeunt in nominativo, per omnes casus eadem littera efferuntur, ut Cato Catonis, Milo Milonis, Maro Maronis et similia.

66,11 as terminata nomina casu nominativo crescente is syllaba finiuntur, ut Maecenas Maecenatis, Asprenas Asprenatis; nominativo vocativum similem habent, o Maecenas o Asprenas.

118, 9 Apollo ... Cicero enim et quaecunque o finita nomina propria sunt Ciceronis Catonis Zenonis Iunonis faciunt.

211, 12[20]) Masculus dicitur, non mascel, ut genetivo masculi, non masceli faciat.

211, 13 Oenoferi, non oenofera, quoniam masculino genere singulari numero hic oenoferus, non oenofer facit.

211, 15[21]) Urcei masculino genere, non neutro dicuntur, quoniam diminutive masculino genere urcioli, non urciola dicuntur.

211, 17[22]) Fastus, id est libellus, generis est masculini et genetivo huius fasti facit. item fastus, ut 'stirpis Achilleae fastus', huius fastus facit.

211, 19 Torques generis est masculini. sindo generis masculini est usu magis, quam ratione certa; cuius locutio talis est, 'sindones Arabeos'.

211, 21 Quali masculino genere dicuntur, ut 'tu spisso vimine qualos', et neutro, ut

19) Char. I 63, 21 Excerpt. Bob. I 543, 11.
20) Prob. inst. art. IV 102, 12.
21) De dub. nom. V 593, 11.
22) Priscian. II 256, 9 Agroec. VII 115, 18 Beda VII 272, 19 Albin. VII 301, 25 Serv. in Verg. Aen. III 326.

Cicero 'inter qu.......... pectebatur aurum'.

211, 24[23]) Frenos et frena apud Vergilium legimus, ut 'stabulo frenos audire sonantis' et frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere'.

211, 27[24]) Pater familias an pater familiae? pater familias ab antiquis dicebatur .... secutus est et Messala. sed Sisenna, scriptor historiarum, primus mutasse dicitur pater familiae dicendo. melius enim genetivo nomen compositum respondet, pater familiae, quam accusativo, pater familias.

211,31[25]) Aeger animo, aegrotus corpore.

211, 32 Crepido hic an haec crepido magis dici debeat, dubitant non nulli, cum Cicero in Oratore crepidinem dicat, ut vertiginem.

212, 1[26]) Criminosus an criminator? criminosus est criminibus obnoxius, sicut invidiosus invidiae subiectus; criminator autem, qui crimen obicit, accusator, qui accusat.

212, 4 Fetigati an fatigati? melius fetigati, quod fetigo dicatur et fessi, non fassi. fassi autem praeterito tempore confessos, non fatigatos significat.

212, 6 Minister an ministrator? minister cottidiani officii videtur esse, ministrator autem et administrator in re publica vel saepius quid faciens. itaque Cicero oratione secunda pro Cornelio

98, 17 frena neutraliter frequenter. Vergilius frenos quoque ait in georgicon III, 'et stabulo frenos audire sonantes'. sed et singulariter hoc frenum dixit ...

120,8 Augustas cur pridie Kal. Augustas et non Augustarum dicimus? ubi Plinius Secundus eodem libro VI 'a finita nomina singulari nominativo veteres casu genetivo as syllaba declinabant, ut Maia Maias. nam et Sisenna inquit eum qui diceret pater familiae, patrum familiarum oportere dicere. itaque, patrum familiarum cum consuetudinis taedium respuerit, et pater familias dici perseveratum est'.

23) Cap. VII 110, 1 Comment. Einsidl. sup. 238, 6 Non. 206, 11 frenos.
24) Char. I 107, 9.
25) Beda VII 262, 18 Albin. VII 295, 13 Fronto de diff. VII 525, 29 Diff. serm. sup. 282, 3.
26) Prob. append. IV 201, 1.

'quare hominem inpugnare non desinunt, nisi remotis ministratoribus'.

212, 10[27]) Nasus hic an hoc nasum? antiqui neutraliter dicebant; itaque Lucretius 'nasum diductius quam pandius paulo vellem'. qui nunc masculino genere dicitur. nam Cicero 'nasus itaque, qui diductus est, quasi murus oculis interiectus esse videatur'.

212, 14[28]) Podagrosus an podagricus? podagrosus a podagra, sicut rugosus a ruga.

75, 16 podagrosus a podagra bene dicitur, sed et podagricus a pedum aegritudine, cuius exemplum apud Laberium est.

212, 16[29]) Sponsor an et feminino genere dicatur sponstrix? sine dubio ratio definitione sua perseveranter nititur, quae omnia nomina masculina nominativo singulari or syllaba clausa feminino genere trix syllaba definit, ut cultor cultrix, victor victrix. quo modo sponsor feminino quoque genere dicetur sponstrix.

44, 3 omne nomen masculinum quod per tor syllabam nominativo casu terminatur feminino per trix finietur nihilque ex numero syllabarum translatum amittet, velut orator oratrix, venator venatrix...

212, 21[30]) Scrupulus hic an et hoc scrupulum? consuetudo quidem hoc scrupulum, erudita vero hunc scrupulum dixit. Cicero pro Sexto Roscio, cum mentionem Chrysogoni facit, 'hunc sibi scrupulum, qui se dies ac noctes pungit, ut evellatis postulat': idem pro Cluentio hunc scrupulum dicit. post cuius auctoritatem nemo dubitaverit hunc scrupulum dicere, et quod in eiusmodi quaestiunculis nihil potest analogia. nam Terentius 'at mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet'.

27) Non. 215, 2 nasus.
28) Beda VII 285, 15.
29) Excerpt. Bob. I 543, 34 Prob. inst. art. IV 91, 15.
30) Cap. VII 111, 10.

212, 30 Salitor an saltor? quod salitorem erudita consuetudo et proba auctoritas indicat, salitor dicimus. alioquin ratio analogiae pro altero est. nam salire tam quam sarcire, farcire, ex quibus fiat sartor, non sarcinator, quo modo rude vulgus dicit.

212, 34—213, 2[31]) Senecis an senis? vitiose senis, quamvis illud auctoritas erudita custodiat. est enim nominativo singulari hic senex. omnia autem vocabula sive masculina sive feminina, quae nominativo singulari x littera terminantur, adcrescant necesse est genetivo singulari, ut calx calcis, sorex soricis, vertex verticis, pulex pulicis, frutex fruticis, latex laticis. itaque senex fiet senecis. vitiose ergo loquuntur qui dicunt senis, quamvis pro his consuetudo pugnet.

144, 3 senex senecis facere deberet. ex enim syllaba finita nomina genetivo aut gis aut cis recipiunt, ut vertex verticis simplicis supplicis duplicis. est ergo de exceptis senex. senis namque facit.

213, 3 Inter ventrem et alvum et uterum hoc interest, quod venter totus dicitur, qui oculis subiectus est, alvus interior pars, qua cibus commeat, uterus autem, quo mulier baiulat partum.

213, 6[32]) Deis ratione dicitur quam dis. est enim deus ut meus reus et deis facere debet, ut meis reis.

213, 8[33]) Ebrius dicitur, non eber, sicut e contrario sobrius dicitur, non sober.

83, 16 heber et hebriacus ne dixeris; bria enim est vas vinarium, unde hebrius et hebria dicitur hebriosusque et hebriosa ... cui contrarium est sobrius ...

213, 9 Amictus vestis, cum nomen est, declinatur hic amictus, huius amictus; at cum participium, huius amicti facit.

213, 11[34]) Expertum cum accusativo dicimus, 'aliquam rem

31) Char. I 88, 5; 24.
32) Serg. explan. IV 521, 30 Mar. Victorin. VI 15, 17.
33) Prob. inst. art. IV 106, 4. 126, 23 Serg. explan. IV 543, 5.
34) Serg. explan. IV 543, 6.

expertus'; expertem autem, ignarum, genetivo casui iungimus, 'expertem istius rei', id est ignarum.

213, 14 Ornatus cum nomen est, huius ornatus facit; cum vero participium, huius ornati. sed 'ornatus Argivae Helenae': nomen posuit, non participium.

213, 18 Flos generis masculini est, ut apud Vergilium 'purpureus veluti cum flos' et 'purpureosque iacit flores' et 'inscripti nomina regum Nascuntur flores' et 'varios circum Fundit humus flores' et Terentius in Eunucho 'anni sedecim flos ipse'.

213, 32 Sutilis masculini generis est et communis: feminini, ut 'tremuit sub pondere cumba sutilis et multam accepit rimosa paludem', et masculini ut balteus et 'equus Troianis sutilis', et neutri, ut 'corium sutile'.

213, 27[35]) Duo sic declinantur ut ambo: duo, duorum, duobus, duo vel duos, duo, a duobus. item ambo, amborum, ambobus, ambo vel ambos, ambo, ab ambobus.

213, 30—214, 3[36]) Quaecunque nomina Graeca in us exeunt, haec vocativo in eu mittuntur, ut hic Atreus o Atreu, hic Peleus o Peleu, hic Nereus o Nereu. (213, 32)[37]) quaecunque apud Graecos ros syllaba finiuntur, si in eadem syllaba antecedentem alteram consonantem habuerint, apud nos in er syllabam exibunt, ut Al-

64, 11 item duo et ambo, de quibus infra dicetur, quae declinantur hoc modo, duo duorum duobus, ambo amborum ambobus et deinceps.

41, 16 omnia nomina quae per eus efferuntur genetivum per ei syllabam faciunt, velut Pentheus Penthei, Nereus Nerei ... Peleus Pelei ... similiter et in vocativo o Tydeu ...

24, 3 omnia enim quae apud Graecos aut per γροϲ aut per τροϲ aut per δροϲ aut per κροϲ efferuntur, haec omnia amissa Graeca

35) Prob. inst. art. IV 122, 24 Serg. explan. IV 543, 3 Phoc. V 414, 5 Cap. VII 94, 5.

36) Char. I 23, 27.

37) Char. I 84, 17. 46, 7 = 82, 16. 120, 6 (Plinius) 128, 1 Excerpt. Bob. I 540, 1 Priscian. II 224, 9. 300, 17 Prob. cathol. IV 13, 25 Phoc. V 423, 14 Ars Bern. sup. 100, 24. Serv. in Verg. Aen. VIII 185.

candros Menandros Evandros Teucros, Alcander Menander Evander Teucer. sin autem unam consonantem in eadem syllaba habuerint, apud nos in us syllabam consummabuntur, ut Homeros Homerus. erit ergo Menander ut Evander. Vergilius autem utroque utitur, 'Pallas Evander in ipsis' et sic 'rex Euandrus ait'.

extremitate et per er elata ut secundae declinationis declinantur, velut ἀγρός ager agri, Ἀντίπατρος Antipater Antipatri, Μένανδρος Menander Menandri, Τεῦκρος Teucer Teucri: quamquam Vergilius extulit Teucrus et Euandrus.

214,4 [38]) Omnia nomina generis masculini monosyllaba dativo et ablativo plurali in bus syllabam exeunt, excepto vir: facit enim viris.

214, 7 [39]) Formae casuales sunt nobis VI, senaria quinaria quadripertita tripertita bipertita simplex vel unita. senaria forma est, quae omnes VI casus in declinationibus habet dissentientes, ut est unus et solus: dicimus enim hic unus, huius unius, huic uni, hunc unum, o une, ab hoc uno. quinaria forma est, quando duo casus similes sunt, id est dativus et ablativus, ut est hic doctus docti docto doctum docte ab hoc docto. quadripertita forma est, quando IIII casus similes sunt, nominativus et vocativus, genetivus et dativus, ut res spes: dicimus enim haec res spes nominativo, o res spes vocativo, genetivo huius rei spei et dativo huic rei spei, item hanc rem spem, ab hac re spe. Tripertita forma est, quae in neutris nominibus invenitur, in quibus similes sunt nominativus accusativus vocativus, ut est scamnum scrinium,

150, 22 formae casuales sunt sex, senaria quinaria quaternaria ternaria bipertita simplex vel unita. senaria forma est cum in omnibus sex casibus varia forma in declinationibus effertur, ut est unus et solus et nullus, nam declinamus hic unus unius uni unum o une ab hoc uno. quinaria forma est, cum dativus et ablativus sociantur in declinationibus, ut est doctus et probus et cetera. quaternaria forma est, cum invenitur nominativus idem qui et vocativus et genetivus idem qui et dativus, ut res spes et reliqua huius ordinis. ternaria forma est quae in neutralibus nominibus invenitur, in quibus nominativus accusativus vocativus sociantur, ut scamnum scrinium, dativus et ablativus, huic scamno et ab hoc scamno et cetera. non minus haec forma etiam in communibus nominibus invenitur is litteris finitis, in qui-

38) Char. I 42, 16 Excerpt. Bob. I 546, 17.

39) Diomed. I 308, 7 Priscian. II 187, 15 Prob. cath. IV 32, 28 inst. art. IV 121, 9 Donat. IV 377, 23 Serv. in Donat. IV 433, 26 Serg. explan. IV 544, 15 Cledon. V 44, 21 Pomp. V 171, 34. 184, 12 Consent. V 351, 20 Ars Bern. sup. 88, 25.

dativus et ablativus, scamno et ab hoc scamno. bipertita forma est, quae in nominibus neutris u finitis est, cum nominativus et accusativus et vocativus sociantur, ut genu cornu, genetivum et dativum et ablativum a se segregant: dicimus enim huius genu, huic genu et ab hoc genu. simplex vel unita forma est, quae in monoptotis nominibus invenitur, ut nequam nugas. dicimus enim hoc nequam huius nequam huic nequam hoc nequam o nequam ab hoc nequam. similiter et nugas.

214, 26[40]) Nomina quae primis partibus declinantur et secundis non, ut tribunus plebis, praefectus urbis; hic tribunus plebis, huius tribuni plebis et reliqua. item secundis partibus declinantur, primis non, ut hic Minotaurus huius Minotauri et cetera. item utraque parte declinantur, ut hic Liber pater, huius Liberi patris et cetera.

214, 31 Ianius dicitur, non Ianus, et declinatur hic Ianius huius Ianii et similia.

214, 33[41]) Ficus Varro masculino genere dixit ita, 'de ficu se suspendit'. cuius ablativus masculini generis est.

214, 35—215, 4[42]) Nomina monosyllaba masculina animam habentia, quae x littera terminantur, ut rex grex Phryx. sed si x littera c et s constat, quare genetivo huius regis et non recis aut per se ipsam x ut rexis facit?

bus nominativus genetivus et vocativus sociantur, ut facilis agilis, dativus et ablativus huic facili ab hoc facili. bipertita forma est, quae in neutralibus nominibus u littera finitis est, in quibus nominativus et accusativus et vocativus sociantur, ut genu veru, genetivum dativum ablativum segregat ab his productio. dicimus enim huius genu huic genu et ab hoc genu. unita vel simplex forma est quae in monoptotis nominibus invenitur, ut nequam. dicimus enim in omnibus casibus similiter hic nequam huius nequam huic nequam hunc nequam o nequam ab hoc nequam...

128, 28 ficus Cicero de oratore libro II 'de ficu suspendit se'; Varro quoque de scaenicis originibus libro I 'sub Ruminali ficu'. itaque Plinius Secundus recte arborem ita dici ait, pomum vero per o litteram dici.

40) Diomed. I 309, 26 Donat. IV 377, 8 Serg. explan. IV 543, 8 Consent. V 349, 28.

41) Char. I 95, 27.

42) Priscian. II 33, 14 Prob. inst. art. IV 49, 34 Serv. in Don. IV 422, 16 Pomp. V 108, 14 Mar. Victorin. VI 5, 23. Maxim. Victorin. VI 195, 14 Aud. VII 326, 13. Dosith. VII 382, 2.

haec causa est, quoniam apud antiquos c littera pro g ponebatur, sic uti nunc g pro c posita est, et genetivo huius regis per c notabatur, sic uti praenomen nunc Gaius c littera servata veterum consuetudine scribitur. sed postea in discretionem g litterae apex, qui sonum figuramque notaret, inventus est, quo addito melius in sonum vocis horum nominum regula sonare conspicitur.

215, 5[43]) Quaecunque nomina masculina plurali numero apud Graecos in ρων syllabam exeunt, haec translata in Latinum ων in um mutant. non magis se quam litterarum numerum custodire videntur, ut est Ἑκτόρων Νεστόρων, facit Hectorum Nestorum. sic ergo et τορευμάτων ποιημάτων ἐμβλημάτων nos recte toreumatum poematum emblematum dicimus. similiter in genetivo quoque singulari Graecum o in Latinam i litteram mutamus, ut ἐμβλήματος huius emblematis, κηρώματος ceromatis, ποιήματος poematis, πήγματος pegmatis.

52, 27 dein quod quaecunque nomina genetivo plurali apud Graecos per ων litteras terminantur, translata in Latinum ων in um mutant, ut Ἑκτόρων Νεστόρων, Hectorum Nestorum. sic ergo, cum illi dicant ἐμβλημάτων τορευμάτων ποιημάτων, nos recte emblematum toreumatum poematum dicimus. similiter in genetivo quoque singulari ος Graecum in is Latinum mutamus, ut ἐμβλήματος emblematis, κηρώματος ceromatis, ποιήματος poematis, πήγματος pegmatis.

215, 13[44]) Apex generis est masculini, quoniam plurali numero hos, non has apices dicimus. sed cum singularem numerum sonat, alicuius rei acumen significat, ut 'fundere lumen apex'; cum vero pluralem, litterarum indicat nomen, cuius locutio in consuetudine est, quando dicimus divinos apices et significamus litteras.

215,18[45]) Cum omnia nomina genetivo singulari syllaba crescant

43) Donatian. VI 277, 1.
44) De dub. nom. V 572, 8.
45) Prob. inst. art. IV 48, 17

aut aequata nominativo conveniant, tamen Iuppiter et calamus in genetivo decrescunt. facit enim huius Iovis et huius cannae propter cacenphaton. sed haec et alia anomala appellantur, id est quae per casus deficiunt.

215, 22[46]) Nomina aptota masculina, id est quae per omnes casus, tam singulares quam plurales, similiter aptantur, ut nequam nugas tabo frugi nihili.

35, 19 sunt quaedam nomina tota in declinatione et singulari et plurali monoptota. in quibus et communia trium generum sunt, vel masculini feminini neutri, nequam frugi nihili nugas pondo m. f. n.

215, 24 Nomina arborum generis masculini, ut oleaster et malus, sed non arbor navis, et cyparissus.

215, 26 Peritus iuris dicitur; Cicero tamen iure consultum dixit.

82, 5 iuris consultus dici debet, non iure consultus; licet Cicero pro Murena ita dixerit, et Lucilius II, ut iure peritus.

215, 27[47]) Chremes regulam declinationis triplicem habet, unam ut hic Chremes huius Chremes, aliam ut hic Chremes huius Chremetis, item aliam, ut hic Chremes huius Chremis.

68, 2 Chremes et Laches apud comicos similiter varie declinantur, modo huius Chremis modo huius Chremetis, Lachis Lachetis.

215, 30 Nomina generis feminini us litteris terminata, ut Venus anus humus.

215, 32—216, 7 Nomina, quae in tas litteras exeunt, ut pietas veritas aequitas bonitas felicitas; item in tus, ut virtus myrtus; aut in e, ut Danae Daphne Circe Dirce Here; aut in cus, ut acus quercus ficus incus; aut in nys, et Graecum est, ut Erinnys; aut monosyllaba, ut spes res grus. item monosyllaba anima carentia, quae x littera terminantur, ut calx crux fax falx faex lux nux pax vox, quae observata ultimae litterae parte Graeco

46) Char. I 36, 12 Excerpt. Bob. I 551, 8; 24 Prob. inst. art. IV 120, 21 Donat. IV 377, 25.

47) Excerpt. Bob. I 541, 39 Priscian. II 244, 5 Prob. cathol. IV 24, 22. 22, 24 Phoc. V 424, 10.

ritu genetivo casu procedunt. x enim in chi litteram Graecam vertent, ut genetivum faciant, quae videlicet servans originem priscae nativitatis, eo quod ex Graecis litteris Latinis adiuncta sit et quod c et s Latinis constet. capit ergo ex Graecis chi, de Latinis cs et exprimit genetivum, ut calcis crucis falcis faecis et cetera. haec ergo causa est, cur in cis et non in xis cadunt, ut faciant calxis cruxis faxis. nam faxis verbum suo ordine dicetur.

Iam videamus, ut Charisii et Probi consensus comparatus sit et quomodo explicari possit. Modo Charisium modo Probum uberiorem copiam praebere exemplis ab iis laudatis facile cognoscitur. Eosdem locos ambo citant hos:

Prob.	207, 29 :	Char.	74, 19	duos Vergilii
„	209, 6 :	„	106, 12	unum Sallustii duos Fabiani
„	209, 27 :	„	61, 29	duos Vergilii
„	210, 23 :	„	109, 17	duos Vergilii
„	210, 30 :	„	64, 26	unum Vergilii
„	211, 24 :	„	98, 17	unum Vergilii
„	214, 33 :	„	128, 28	unum Ciceronis.

Cf. Prob. 211, 27 : Char. 120, 8, quibus locis Sisenna grammaticus occurrit. Ceteris exemplis iidem loci dissentiunt ita, ut Probus p. 209, 6 Lucilium Horatium Afranium, Charisius Varronem et Verrium laudet, et Probus p. 210, 23 praebeat Vergilii versum a Charisio alienum, Charisius item Vergilii versum a Probo alienum et Pacuvium. Praeterea Probus superat Charisium: p. 207, 29 duobus Vergilii versibus, p. 210, 30 et 211, 24 et 213, 30 uno Vergilii versu, p. 211, 27 Messallae commemoratione. Contra Charisius superat Probum: Prob. p. 209, 27 uno Vergilii versu et p. 214, 33 Varronis loco. Denique omnes versus diversi leguntur Prob. p. 210, 6 et Char. 110, 8, id quod offendere neminem debet, cum ambo de Varronis quadam regula dicant, quam Probus exemplis suis affirmat, Charisius suis refellit. Itaque cum modo Probus modo Charisius uberiore copia excellat, Steupii sententiam Probum a Charisio pendere falsam esse sequitur. Immo Probus et Charisius tertium grammaticum habent communem auctorem.

Accedit, quod loci Charisiani Probo non eadem ratione respondent. Doctrina enim de formis casualibus Prob. 214, 7 : Char. 150, 22 et de genetivo masculinorum Graeco et Latino Prob. 215, 5 : Char. 52, 27

iisdem fere verbis apud utrumque utitur. Item alii loci simillimi leguntur velut:

quaestiones generis:	Prob.	209, 6	sal	:	Char.	106, 12
	„	210, 6	dies	:	„	110, 8
	„	210, 23	stirps	:	„	109, 17
	„	210, 30	turbo	:	„	144, 30
	„	211, 24	freni	:	„	98, 17
et praeterea:	„	208, 23	neutra pluralia	:	„	52, 17
	„	211, 14	podagrosus	:	„	75, 16
	„	212, 34	senis	:	„	144, 3
	„	213, 27	duo	:	„	64, 11
	„	215, 26	peritus iuris	:	„	82, 5.

Reliqui loci tam accurate non congruunt, quamquam eandem quaestionem grammaticam tractant. Hoc facile explicatur: Charisius communem cum Probo auctorem non ipse adiit, sed ab auctoribus suis accepit. Loci autem Charisiani, quos supra exscripsi, fluxerunt ex clarissimis Charisii auctoribus C. Iulio Romano et Q. Remmio Palaemone. Romano enim debentur: Char. p. 60, 9. 146, 12. 62, 13. 52, 17. 106, 12. 61, 29. 101, 8. 110, 8. 109, 17. 144, 30. 118, 9. 98, 17. 120, 8. 75, 16. 144, 3. 83, 16. 128, 28. 52, 27. 82, 5, Palaemoni autem: Char. p. 51, 21. 23, 11. 30, 4. 114, 23. 113, 22. 66, 11. 64, 11. 41, 16. 24, 3. 35, 19, eidemque fortasse p. 74, 19. 150, 22. 68, 2. Priores locos a C. Iulio Romano profectos esse nuper commentatione *de C. Iulio Romano Charisii auctore* ostendere conatus sum. De Palaemone Marschallius in dissertatione *de Q. Remmii Palaemonis libris grammaticis* in universum recte iudicavit, nisi quod totum caput XV libri primi Palaemoni vindicare studuit, in quo Charisius mea sententia et Palaemone et Romano usus est. Aliud iudicium de hoc capite fecit Boeltius *die Quellen von Charisius I 15 und 17* annal. philol. 1888 p. 401, cum locos, quos ego Romano tribui, assignet Anonymo de analogia, quem sibi finxit Charisii auctorem. Sed hoc ad quaestionem propositam nihil refert, cum Boeltius p. 417 Anonymum ex Plinio potissimum hausisse eruerit. Plinium autem Romani et Palaemonis auctorem fuisse in locis cum Probo conspirantibus tertio capite ostendam.

Praeter locos Charisianos, quos exscripsi, in adnotatione alios indicavi cum his cognatos, cum Charisius eandem doctrinam nonnunquam repetat, sive eam ex eodem auctore ductam in diversis capitibus iteraverit sive ex Palaemone et Romano similia verba exscripserit, quae ad communem horum grammaticorum auctorem referemus.

Ex Palaemone Charisius similem doctrinam iteravit de eus finitis Graecis vocabulis, de quibus Probus p. 213, 30 agit, Char. p. 23, 27 *nomen quod apud Graecos in ευς profertur sic declinatur, singulariter hic Tydeus huius Tydei . . . pluraliter hi Tydei*

Tydeorum . . . a Tydeis et p. 41, 16 *omnia nomina quae per eus efferuntur genetivum per ei syllabam faciunt, velut Pentheus Penthei, Nereus Nerei, Mnestheus Mnesthei, Tydeus Tydei, Peleus Pelei. et quamvis regula dicat Peleum, tamen Pelea dicimus in accusativo; similiter et in vocativo o Tydeu. nam Graeca declinatio magis in istis casibus praeponitur. sed in ablativo Romanam sequimur regulam, quoniam apud Graecos ablativus non est. dicimus enim ab hoc Tydeo Peleo secundum Romanos, ut sine dubio Pentheus Nereus Mnestheus Peleus Tydeus sint secundae declinationis.* Hunc locum Probo adscripsi, quippe qui de vocativo sicut Probus disertim verba faciat. Item duo Palaemonis loci Probo p. 215, 22 similes sunt: Char. p. 35, 19 *sunt quaedam nomina tota in declinatione et singulari et plurali monoptota. in quibus et communia trium generum sunt, velut masculini feminini neutri, nequam frugi nihili nugas pondo m. f. n.* et p. 36, 12 *sunt quaedam quae declinationem non admittunt, in quibusdam casibus tamen inveniuntur et dicuntur aptota, velut sponte. septimus casus est sponte, et huic declinatio nulla praeter ablativum accidit.* Si igitur duo Palaemonis loci cum Probo quodam modo conspirant, sic sentio Palaemonem duobus locis eundem auctorem adiisse mea sententia Plinium. Charisius utrum duos Palaemonis locos an unum satis copiosum adhibuerit, nescimus. Neque hoc certo scimus, utrum Palaemon duplicem doctrinam ex uno an duobus Plinii locis petiverit. Sed hoc certum est duos Palaemonis locos una cum Probo ad eundem auctorem referendos esse.

Item de Romano iudico. Similem Romani doctrinam, quae cum Probo conspirat, apud Charisium bis legimus et in capite XVII et in capite XV. Locos capitis XV qui a Romano abiudicet necesse est eos revocet ad eundem auctorem primarium, quem Romanus in capite de analogia adiit, Plinium scilicet. Haec ratio intercedit inter locos:

Prob.	207, 27	Char.	60, 9	et	125, 3
„	208, 23	„	52, 17	„	143, 19
„	211, 27	„	107, 9	„	120, 8
„	214, 33	„	95, 27	„	128, 28.

Ut unum exemplum afferam, conferas Char. p. 52, 17 *nam neutra quae semper pluralia sunt, si ante novissimam syllabam i litteram habeant, genetivo per um, dativo per bus syllabam finientur, veluti Saturnalia Saturnalium Saturnalibus. nam arma castra exta, quia non habent i ante a syllabam, dativo casu is finientur: armis enim et castris et extis dicemus* et 143, 19 *Saturnalium. a littera finita nominativo plurali genetivo alia um, alia rum terminabuntur. inspiciendus itaque nobis est dativus et ablativus pluralis, in is syllabam an in bus exeant . . . secunda ratio, qua Plinius ait Valgium niti, talis est: nomina semper pluralia, si ante novissimam a litteram i habebunt, deposita a et adsumpta um facere genetivos plurales, velut Liberalia Floralia, Liberalium Flo-*

ralium; si autem ante a i non habebunt, in rum faciant necesse est genetivum. itaque exta castra extorum castrorumque faciunt. Plinianam doctrinam ambo Charisii loci continent, utcunque de Romano sentias.

Saepius apud Charisium similis doctrina legitur altero loco ex Romano altero ex Palaemone sumpta, qui eundem fontem habuerunt. Cuius generis sunt loci:

Prob. 207, 2	Pal. ap. Char. 23, 11	Rom. ap. Char. 71, 2. 78, 4. 122, 6
„ 207, 16	„ „ „ 114, 23	„ „ „ 136, 19
„ 207, 29	„ „ „ 21, 15. 74, 19	„ „ „ 146, 12
„ 211, 1	„ „ „ 113, 22. 116, 10	„ „ „ 79, 10. 101, 1. 204, 22
„ 212, 34	„ „ „ 88, 5; 24	„ „ „ 144, 3
„ 213, 30	„ „ „ 24, 3 = 84, 17. 46, 7 = 82, 16	„ „ „ 120, 6. 128, 1.

Ut extremo exemplo rem illustrem, apud Palaemonem legitur Char. 24, 3 *omnia enim quae apud Graecos aut per γρος aut per τρος aut per δρος aut per κρος efferuntur, haec omnia amissa Graeca extremitate et per er elata ut secundae declinationis declinantur, velut ἀγρός ager agri, Ἀντίπατρος Antipater Antipatri, Μένανδρος Menander Menandri, Τεῦκρος Teucer Teucri: quamquam Vergilius extulit Teucrus et Euandrus. duo haec nomina suo statu permanent, Codrus et gongrus: non enim dicitur Coder nec gonger* et p. 46, 7 *item omnia nomina quae efferuntur Graece per ρος et ante ρος syllabam consonantem litteram habent, haec Latine in er exeunt, velut Ἀλέξανδρος Alexander, Κλέανδρος Cleander, ὄναγρος onager, ἀγρός ager, et siqua alia sunt.* Apud Romanum legitur p. 128, 1 *Euandrus Maro, quod, ut ait Aurelius Opilius, Graeca nomina ος syllaba finita Latine us debent terminari; usus tamen Euander. sunt sane quaedam quorum natura consuetudini copulatur, ut Codrus et Hesperus.* In altero Romani loco communis Palaemonis et Romani auctor deprehenditur p. 120, 6 *aestifer an aestiferus? Plinius in eodem libro VI 'ut fatifer et aurifer et armiger lucifer furcifer dici debet, quia composita sunt, nec ut quaedam quasi composita, velut Euander Teucer, dici debent et interdum e littera carere'.* Cf. Char. p. 122, 3 *Alexander* 122, 4 *ager.*

Denique ad Probum p. 210, 30 et 211, 7 exscripsi Romani locos Char. p. 144, 30 et 108, 9, cum loci in adnotatione additi p. 64, 26 et 63, 31 dubitem utrum a Romano an Palaemone profecti sint.

Probum cum Charisii auctoribus eum in modum vidimus congruere, ut et Probi et Palaemonis et Romani doctrina necessario ab eodem auctore nata sit, quem Plinium fuisse iam demonstrandum est.

Caput III.

DE PLINIO CHARISII ET PROBI AUCTORE PRIMARIO.

De Plinio Charisii vel potius Romani auctore postquam disseruerunt Schottmuellerus *de C. Plini Secundi libris grammaticis* Lipsiae 1858 Neumannus *de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus* Kiliae 1881 Boeltius *die Quellen von Charisius I 15 und 17* annal. philol. 1888 p. 419: ego in commentationis *de C. Iulio Romano Charisii auctore* capite altero longius progressus sum, cum totum fere Charisii caput XVII et Romani reliquias capitis XV Plinio vindicarem. Quamquam autem Boeltius de auctoribus capitis XV et XVII prorsus aliud iudicium fecit, tamen hoc ad nostram quaestionem non multum refert. Vir doctus enim Romanum in capite de analogia tres auctores usurpavisse censuit Plinium Anonymum de analogia (quem sibi finxit ad consensum cum capite XV explicandum) Palaemonem. Quae Anonymo et Palaemoni tribuit cum ego Plinio vindicarem, Boeltius Anonymum Plinio potissimum usum esse voluit. Item in capite XV locos, quos ego Romano dedi, qui Plinium adhibuerit, ille Anonymo tribuit, qui et ipse Plinio usus sit. Quoniam antecedente capite vidimus Probi de nomine libellum et cum Romano in capite XVII de analogia atque in capite XV et cum Palaemone consentire, nunc communem Romani Palaemonis Probi auctorem Plinium fuisse ostendam.

C. Iulio Romano, cui plurima Plinii fragmenta debemus, demonstratio mea nititur. Primum septem Probi locos cum fragmentis Plinii conferam:

1) Prob. 210, 30 *turbo, cum puerilis lusus instrumentum significat, masculini generis est, ut 'ceu quondam torto volitans sub verbere turbo q. p. m. i. v. a. c.' at cum procellam significat, feminini generis erit, ut 'ater quos aequore turbo Dispulerat', et declinatur ut virgo. at cum proprium hominis nomen est, declinatur ut Cato.*

Char. 144, 30 *Turbo Turbonis, si proprium sit hominis nomen; turbinis, si procellam voluerimus exprimere, aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum. sed Caesar de analogia II turbonem, non turbinem etiam in tempestate dici debere ait, ut Cato Catonis, non ut homo hominis.*

Char. 64, 26 *Turbo, si sit proprium nomen, Turbonis facit, si appellativum, turbinis. nam sive ventus sive quo ludunt pueri, hic turbo dicitur, non ut quidam stulte hic turben dixerunt puerorum. nam Vergilius dixit 'torto sub verbere turbo'.*

Char. 145, 8 *turben Tibullus ... quem Maro VII turbonem vocat 'tortus sub verbere turbo'. et ita putant dici debere, hic turbo, quia et homo et tempestas et buxum eodem possint nominativo perhiberi.*

Ex Charisii p. 144, 30 loco apparet Plinium de declinatione vocabuli turbo quaesivisse et de duplici quidem genetivi forma turbonis

et turbinis, quam ita distinxit, ut turbonis sit nominis proprii, turbinis appellativi sive procellam sive instrumentum puerorum lusus significet. Eadem doctrina in fine loci Probi legitur. Qui cum initio genus diversum appellativi turbo significationis differentia explicet, ut turbo puerilis lusus instrumentum masculini, procella feminini sit generis, pergit ad declinationem verbis: *et declinatur ut virgo. at cum proprium hominis nomen est, declinatur ut Cato.* Prima verba 'et declinatur ut virgo' non solum ad femininum turbo spectant sed etiam ad masculinum h. e. ad appellativum duplicis significationis, cui extremis verbis nomen proprium opponitur. Iam fortasse quis mihi obiciat Probum non ad Plinium redire, cum de genere potissimum quaerat. At Plinii de hoc vocabulo doctrinam complures quaestiones amplexam esse, inde efficitur, quod ceteris Charisii locis p. 145, 8 et 64, 26, quos ex Plinio profectos esse consensus cum eo docet, nova quaestio oritur de nominativi forma dubia turbo et turben. Hic idem Vergilii versus atque a Probo citatur sed ad aliam rem demonstrandam. Denique a Probo et a Charisio p. 144, 30 exemplum Catonis affertur, quod Plinius non a Caesare accepisse videtur. Sed Caesaris memoriam a Plinio profectam esse in commentationis supra laudatae capite altero in dissertatione de Caesare p. 602 ostendi.

2) Prob. 211, 27 *pater familias an pater familiae? pater familias ab antiquis dicebatur . . . secutus est et Messala. sed Sisenna, scriptor historiarum, primus mutasse dicitur pater familiae dicendo. melius enim genetivo nomen compositum respondet, pater familiae, quam accusativo, pater familias.*

Char. 120, 8 *Augustas. cur pridie Kal. Augustas et non Augustarum dicimus? ubi Plinius Secundus eodem libro VI 'a finita nomina singulari nominativo veteres casu genetivo as syllaba declinabant, ut Maia Maias. nam et Sisenna inquit eum qui diceret pater familiae, patrum familiarum oportere dicere. itaque, patrum familiarum cum consuetudinis taedium respuerit, et pater familias dici perseveratum est'.*

Char. 107, 9 *pater familias et mater familias antiqui magis usurpaverunt, propterea quod nominativo singulari s litteram adiciebant, ut facerent genetivum, haec familia huius familias, haec Maia huius Maias. quam declinationem et Sallustius in III secutus ait 'castella custodias thensaurorum in deditionem acciperentur'. sed emendatius custodiae Maiae et familiae dicimus. quod ne celebraretur Sisenna effecit. ait enim eum qui diceret pater familiae etiam pluraliter dicere debere patres familiarum et matres familiarum. quod quoniam erat durum et longe iucundius patrum familias sonabat, etiam pater familias ut diceretur consuetudo comprobavit. et tamen ratio Sisennae non est valida. nec enim necesse est pluralem numerum rei adiunctae adhibere. nam familia est ut plebs, et posset pater familiae dici ut tribunus plebis...*

Ex fragmento Pliniano Char. p. 120, 8 discimus Plinium de antiqua genetivi forma velut familias disputavisse et Sisennae sententiam pater familiae dici debere et pluraliter patres familiarum eo

argumento reiecisse, quod consuetudo patres familiarum noluerit. Alterum Charisii locum ad Plinium redire in commentationis laudatae capite altero in dissertatione de Sisennis grammaticis p. 597 ostendi. In quo eadem regula de antiquo genetivo statuitur, et Sisennae sententia affertur. Sed praeter consuetudinem additur ad Sisennam refellendum hoc argumentum: composita ut paterfamilias non necessario in altera parte flecti, ut patres familias non minus recte dicantur quam tribuni plebis al. Cum hac Plinii doctrina Probus plane conspirat, cum pater familias pro veterum forma habeat et Sisennae de hoc composito sententiam contrariam afferat.

3) Prob. 214, 33 *ficus Varro masculino genere dixit ita, 'de ficu se suspendit'. cuius ablativus masculini generis est.*

Char. 128, 28 *ficos vitium esse corporis proinque declinari debere quasi pomum, Martialis in Laetilianum iocantis nobis occurrit exemplum ... ficus Cicero de oratore libro II 'de ficu suspendit se'; Varro quoque de scaenicis originibus libro I 'sub Ruminali ficu'. itaque Plinius Secundus recte arborem ita dici ait, pomum vero per o litteram dici. fici Ennius ... Lucilius ...*

Char. 95, 22 *haec ficus et hae fici et has ficos facit. genetivus enim singularis huius fici, non huius ficus est; et Lucilius ... sed Varro * 'de ficu se suspendit' dicendo dedit multis licentiam ut hac et has ficus dicerent, quod usurpare maluimus propter cacemphaton; de qua re Martialis elegantissime loquitur ... et Horatius ...*

Hoc Probi loco in exitu capitis primi ad illustrandam excerptoris neglegentiam usus sum, qua sententia Plinii depravata est. Quid enim sibi volunt verba 'cuius ablativus masculini generis est'? Neque exemplo allato generis quaestio discernitur. Itaque excerptorem puto ficum masculini generis idem esse voluisse atque ficum quartae declinationis. Hoc si ponitur, Probus praeclare cum fragmento Plinii Char. p. 128, 28 congruit, ex quo hoc certe eruitur Plinium de duplici declinatione vocabuli ficus quaesivisse et differentiam significationis statuisse. Mire autem Probi error, quo Ciceronis locus Varroni tribuitur, in altero Charisii p. 95, 27 loco recurrit, quem ex Plinio fluxisse verisimillimum est. Plinius sine dubio Varronem et Ciceronem laudaverat. Lacuna autem Varronis exemplo omisso orta et error inde natus ad veterem Plinii codicem referenda sunt, cum Probus a Charisio non pendeat. Boeltii l. l. p. 413 sententia mihi non probatur propter Priscianum II p. 267 14 Charisium Ciceronis et Martialis locos non Plinio debere, qui tituli capitis XV non sit auctor. Immo Ciceronis et Varronis exemplis Plinius primo obtutu cognoscitur, de quibus in commentationis laudatae capite altero exposui p. 621 ss. de Plinio disputans.

4) Prob. 208, 23 *omnia nomina pluralia ia litteris nominativo finita genetivum in ium syllabam mittunt, ut moenia Hilaria Compitalia Vestalia comitia, horum moenium Hilarium Compitalium et cetera ... item nomina neutra pluralia a terminata littera casu nominativo, haec*

genetivo plurali rum syllaba terminantur, dativum et ablativum in is syllabam mittunt, ut arma castra exta sarmenta et similia.

Char. 143, 19 *Saturnalium. a littera finita nominativo plurali genetivo alia um, alia rum terminabuntur. inspiciendus itaque nobis est dativus et ablativus pluralis, in is syllabam an in bus exeant ... secunda ratio, qua* Plinius *ait Valgium niti, talis est: nomina semper pluralia si ante novissimam a litteram i habebunt, deposita a et adsumpta um facere genetivos plurales, velut Liberalia Floralia, Liberalium Floralium; si autem ante a i non habebunt, in rum faciant necesse est genetivum. itaque exta castra extorum castrorumque faciunt.*

Char. 52, 17 *nam neutra quae semper pluralia sunt, si ante novissimam syllabam i litteram habeant, genetivo per um, dativo per bus syllabam finientur, veluti Saturnalia Saturnalium Saturnalibus. nam arma castra exta, quia non habent i ante a syllabam, dativo casu is finientur: armis enim et castris et extis dicemus.*

Tres loci Plinii regula a Valgio nata concinunt, praesertim vocabulis arma castra exta exempli loco positis. Alterum Charisii locum p. 52, 17 ex Plinio in Romanum et Charisium pervenisse verisimillimum est. De Valgio Plinii auctore in commentatione laudata in capite altero p. 606 disputavi. Eiusdem regulae Plinianae pars legitur apud Romanum Char. p. 126, 1 *cetariis Pomponius Secundus ad Thraseam 'cum ratio cetaribus' inquit* Plinius *'poscat, ut moenia moenibus, ilia ilibus, Parilia Parilibus. ea enim nomina quae i ante a habent, ut cetaria, in bus necesse est desinant'.*

5) Prob. 207, 27 *veteria non dicuntur nominativo, sed vetera, ut genetivo plurali veterum, non veterium faciat.*

Char. 125, 3 *compluria Terentius in Phormione 'nova compluria'; ubi* Plinius *'Iulius Modestus' inquit 'ita definiit, quae nomina comparandi fuerint, ea accusativis pluralibus in is exient, id est fortioris, genetivus fortiorum facere debet, non fortiorium; id est ante um syllabam i recipere non debent. ita complura et complurum esse dicendum. consuetudo tamen et hos plures dicit et haec pluria'.*

Char. 60, 7 *ablativus igitur a neutro nomine i littera terminatus a accipit et facit ex se nominativum pluralem, ut ab hoc torali haec toralia et ab hoc facili haec facilia. unde manifestum fit vetera dici, non veteria, et maiora non maioria, et plura non pluria; quamvis Terentius in Adelphis 'nova hic compluria' dixerit. quorum ablativus non i terminatur, sed in e. dicimus enim ab hoc vetere maiore plure, non ab hoc veteri maiori pluri. quare autem horum ablativus in e terminetur, non in i, conprehendi potest ita: intellegi sane potest de genetivo plurali, qui ante um non habet i. nam veterum maiorum et plurum dicimus. de maiore tamen vel minore possumus dicere e terminari oportere, quod quae comparativi gradus sunt i finiri non possunt. semper enim e littera ablativo casu finiuntur.*

Ex Charisio p. 123, 5 colligitur Plinium Iulii Modesti regulae: nomina quae comparandi sint velut complures in nominativo plurali

complura in genetivo complurum dicenda esse: opposuisse consuetudinem et Terentii auctoritatem, qui compluria scripserit. De Iulio Modesto Plinii auctore in capite altero commentationis laudatae p. 608 disserui. Cum hoc Charisii loco alter ex Romano ductus p. 60, 7 congruit, quem ad Plinium redire necesse sit. Quo loco idem Terentii versus occurrit et regula de nominibus quae comparativi gradus sunt stabilitur ea: nominativum pluralem esse plura, ablativum singularem plure, genetivum pluralem plurum. Quo cum loco Probus consentit, cum ambo de formis vetera et veterum quaerant.

6) Prob. 213, 32 *quaecunque apud Graecos ros syllaba finiuntur, si in eadem syllaba antecedentem alteram consonantem habuerint, apud nos in er syllabam exibunt, ut Alcandros Menandros Evandros Teucros, Alcander Menander Evander Teucer. sin autem unam consonantem in eadem syllaba habuerint, apud nos in us syllabam consummabuntur, ut Homeros Homerus. erit ergo Menander ut Evander. Vergilius autem utroque utitur, 'Pallas Evander in ipsis' et sic 'rex Evandrus ait'.*

Char. 120, 6 *aestifer an aestiferus? **Plinius** in eodem libro VI 'ut fatifer et aurifer et armiger lucifer furcifer dici debet, quia composita sunt, nec ut quaedam quasi composita, velut Euander Teucer, dici debent et interdum e littera carere'.*

Char. 128, 1 *Euandrus Maro, quod, ut ait Aurelius Opilius, Graeca nomina ος syllaba finita Latine us debent terminari; usus tamen Euander. sunt sane quaedam quorum natura consuetudini copulatur, ut Codrus et Hesperus.*

Char. 24, 3 = 84, 17 *omnia enim quae apud Graecos aut per τρος aut per δρος aut per κρος efferuntur, haec omnia amissa Graeca extremitate et per er elata ut secundae declinationis declinantur, velut ἀγρός ager agri, Ἀντίπατρος Antipater Antipatri, Μένανδρος Menander Menandri, Τεῦκρος Teucer Teucri: quamquam Vergilius extulit Teucrus et Euandrus: duo haec nomina suo statu permanent, Codrus et gongrus: non enim dicitur Coder nec gonger.*

Ex fragmento Pliniano Char. p. 120, 6 efficitur Plinium vocabulis Euandri et Teucri duplicem nominativum concessisse Euander Euandrus atque Teucer Teucrus. Eadem quaestio grammatica cum in capite de analogia in titulis p. 128, 1 *Euandrus* 122, 3 *Alexander* 122, 4 *ager* tractetur, hos Plinio vindicavi in commentationis laudatae capite altero p. 620. Atque Char. p. 128, 1 de formis Euander disputatur et Euandrus, qua Vergilius usus sit, et Codrus commemoratur. Iam dubitari nequit, quin Charisii locus p. 24, 3 ex Palaemone propter consensum Excerptorum Bobiensium I 540, 1 natus a Plinio profectus sit, quo loco de formis Vergilianis Teucrus Euandrus et de nominativo Codrus agitur. Hic Palaemonis locus regula universa et quaestione de Euandro Vergiliano Probo simillimus est.

7) Prob. 207, 11 *quaecunque nomina nominativo singulari i litteram habuerint ante ultimam syllabam, haec genetivo singulari eandem duplicant, ut hic Mercurius huius Mercurii, hic Vergilius huius Vergilii:*

sic etiam in neutris, ut hoc dolium hoc folium, huius dolii huius folii facit et cetera.

Char. 122, 6 *Aurelii genetivus non tantum crescit cum nominativo, sed ut par sit dativo casui, ut Plinius eodem libro scribit.*

Char. 78, 4 *Lucius et Aemilius et cetera nomina quae ante u habent i duplici i genetivo singulari finiri debent, ne necesse sit adversus observationem nominum nominativo minorem fieri genetivum; idque Varro tradens adicit vocativum quoque singularem talium nominum per duplex i scribi debere, sed propter differentiam casuum corrumpi. Lucilius tamen et per unum i genetivum scribi posse existimat. ait enim* ... (79, 2) *et Plinius quoque dubii sermonis V adicit esse quidem rationem per duo i scribendi, sed multa iam consuetudine superari. sane opinionem de vocativo casu traditam infirmat, quod hic pius in vocativo pii faciat. adeo enim [non] semper vocativus casus eandem scripturam patitur quam genetivus.*

Char. 141, 6 *Patavi Maro ... pro Patavii. par enim genetivus esse debet nominativo, nec minor, ut huius imperii et ingenii.*

Char. 71, 2 *quod* (alium) *utique in genetivo debet geminari ut huius palii scrinii dolii alii solii, quia genetivus numero syllabarum minor esse nominativo non debet. quare magis denotati sunt qui maluerunt per unum i imperi et ingeni dicere quam secundum regulam imperii et ingenii, geminata i littera. invenimus tamen et per unum i a Vergilio dictum 'ille urbem Patavi', pro Patavii. plus in hac observatione geminandi i in masculinis animadvertimus, ut hic Aemilius huius Aemilii, hic Iulius huius Iulii. in vocativo tamen i litteram subtrahimus ...*

Char. 23, 11 *item quae ante us syllabam i habent sic declinantur geminata i in genetivo, ut hic Concordius huius Concordii ... item quae ante um habent i similiter declinantur geminata i in genetivo, hoc studium huius studii et reliqua* ... (19) *in vocativo vero ne similis sit genetivo singulari, unam i recipiunt, velut hic Concordius huius Concordii o Concordi.*

Quibus locis agitur de Plinii regula: nomina quae ante us vel um habeant i genetivo duplici i flecti, ut genetivus syllabis par sit nominativo. Ex quinque Charisii locis duo Romani Plinium nominant. Qui in capite XV legitur p. 78, 4, fontis communitate cum altero loco cohaeret, qui p. 71, 2 antecedit et (p. 78, 4) sequentem respicit verbis 'plus in hac observatione geminandi i in masculinis animadvertimus ut hic Aemilius huius Aemilii'. Hic autem locus p. 71, 2 cum Romani capitis de analogia p. 141, 6 conspirat. Restat locus Charisii p. 23, 11 ex Palaemone ortus, quem Plinium adhibuisse censeo. Hunc Probo adscripsi, cum simillime regulam et masculinorum et neutrorum generaliter statuat. Ne audaciorem me esse putes, addo hoc loco sicut a Romano p. 71, 2 et 78, 4 regulam statui vocativum una i finiri. Plinius enim Charisii testimonio p. 79, 3 Varronis opinionem vocativum per duplex i scribendum esse eo impugnavit, quod vocativus genetivi similis esse non debeat.

Recensui locos, quibus sententia mea nititur Probi et Charisii auctorum communem fontem Plinium fuisse. Cum autem Plinii nomen septies in eadem doctrina deprehendatur, Valerium Probum a grammaticis citatum cum libello de nomine nusquam consentire inveni. Transeo ad reliquos Romani locos, quos Probo adscripsi vel adnotationibus subscripsi. Ex Romani capite de analogia quattuor tituli restant Char. p. 146, 12 *us litteris finita* 118, 9 *Apollo* 144, 3 *senex* 136, 19 *memoris*. Quos in commentatione *de C. Iulio Romano Charisii auctore* in capite altero de Plinio disserens huic vindicavi p. 620, quippe qui cum Plinianis ad nominativum et genetivum spectantibus cognati sint. Iidem regulas universas de us o ex or finitis vocabulis continent, quales Plinium statuisse infra ostendam. Reliqui Romani loci extant in Charisii capite XV. Ex quibus spectant ad genus nominum tituli Char. p. 106, 12 (sal) 61, 29 (tapete) 101, 8 (clunes) 110, 8 (dies) 98, 17 (frena), ad significationem et formationem Char. p. 109, 17 (stirps) 75, 16 (podagrosus) 83, 16 (heber), ad alias quaestiones Char. p. 62, 13 (animal) 52, 27 (genetivus Graecus et Latinus) 82, 5 (iuris consultus) 79, 10 et 101, 1 (largiter). In commentationis modo laudatae capite primo p. 581 ss. Romani titulos capitis XV collegi, qui ad eandem quaestionem grammaticam spectent: ad orthographiam genus numerum declinationem formationem atque significationem. Quos diversi generis titulos in capite altero p. 626 ss. ad Plinium redire ostendi, cum iidem scriptores atque a Plinio in Romani capite de analogia citentur, et Plinius ipse laudetur in titulis generis Char. p. 77, 7 (balteus) 105, 19 (pampinus) et significationis p. 85, 9 (gibber) 88, 16 (vertex) 77, 14 (clipeus). Itaque titulos generis et significationis cum Probo conspirantes a Plinio profectos esse verisimillimum est. Item Plinio tribui paucos qui restant: p. 62, 13. 52, 27. 82, 5. 79, 10. 101, 1.

Sed quid de locis iudicabimus, quos Charisius ex Palaemone exscripsit? Primum Palaemonem Plinio usum esse ipsius testimonio Char. p. 187, 20 et 225, 29; 31 certum est. Deinde supra vidimus in Plinii testimoniorum duobus exemplis, quae sexto et septimo loco tractavi, Palaemonem Char. p. 24, 3 et 23, 11 cum Romano congruere, qui ad Plinium auctorem provocet. Itaque cum Plinium Palaemonis auctorem fuisse constet neque alium quantum sciam huius grammatici auctorem compertum habeamus, Palaemonis quoque locos qui cum Romano consentiant, Plinio vindicabimus, de quibus in capite altero disputavi.

De Probi locis verba feci, quibus certi quidam Charisii similes sunt. Quid si tales desunt? licetne Probum ad Plinium revocare auctorem primarium? Licet. Capite enim primo ostendere conatus sum totum Probi libellum unum eundemque auctorem redolere. Argumenta autem, quibus hoc effeci, eadem in Plinium mirum in modum quadrant. Cave autem putes me a Plinio profectum

elegisse quaedam, quae in Probo quoque inveniantur. Probum solum iterum atque saepius legi et ea, quae mihi propria eius esse videbantur, supra notavi. Nunc haec Probi propria signa eadem Plinii esse ostendam fragmentis Plinianis Charisii capitis de analogia comparatis et titulis singularibus capitis XV, qui ex Plinio potissimum fluxerunt. Primum eidem termini technici leguntur:

finire: Char. p. 118, 18; 21. 119, 6. 120, 9. 122, 8. 123, 10. 124, 29. 126, 10. 127, 13. 131, 12. 132, 19. 137, 29. 138, 15. 143, 19. 146, 21 cf. 75, 3. 78, 5. 90, 25. 102, 5; 7. 110, 12. 112, 10
terminare: 119, 7. 120, 22. 122, 16. 129, 15; 29. 133, 16. 136, 26. 137, 8. 138, 9. 139, 1; 7. 143, 20; 24 cf. 89, 25. 91, 13; 15. 101, 8. 104, 15. 112, 5; 8
exire: 125, 5. 129, 18; 26. 137, 2. 143, 21 cf. 79, 11. 84, 2. 90, 24. 109, 8
claudere: 125, 11. 127, 14. 133, 16; 19. 142, 11. 143, 22
habere: 126, 2. 137, 3; 26. 143, 26 cf. 65, 7. 78, 4
facere: 119, 3. 120, 21. 123, 4. 124, 31. 125, 5. 129, 22. 130, 30. 136, 28. 137, 1. 143, 28; 29 cf. 62, 7. 65, 20. 70, 16; 20. 71, 21. 78, 11. 79, 4; 10; 12. 81, 21. 90, 20. 91, 14. 92, 24. 95, 22. 100, 10. 102, 6. 107, 6; 10. 109, 27. 110, 1; 23. 111, 7
declinare: 120, 10. 128, 20. 143, 12 cf. 62, 1; 3. 71, 20. 74, 28. 75, 1. 80, 16. 84, 3. 85, 12. 87, 24. 88, 3. 89, 27. 91, 13; 20. 100, 9; 14. 104, 3
mutare: 122, 27 cf. 65, 20. 79, 11
crescere: 122, 6 cf. 62, 10; 11. 88, 11. 89, 25
custodire: 118, 24 cf. 87, 4. 88, 11
significare significatio: 120, 27; 31 cf. 70, 16; 20. 71, 28. 72, 28. 73, 6. 77, 8; 14; 15; 17. 80, 17. 81, 26; 28. 96, 15. 98, 15; 16. 99, 8. 100, 6. 101, 17; 20. 102, 27. 106, 18. 109, 14; 15; 17; 19; 24; 26; 27. 110, 15; 21. 111, 12; 27. 112, 1
sonare: 145, 7 cf. 75, 6. 107, 17
inanimalia nomina: 92, 24. 101, 9.

Praeterea de analogia ratione regula consuetudine auctoritate veterum vel antiquorum saepissime apud Plinium agitur velut Char. p. 118, 16. 120, 12; 19. 122, 23; 30. 123, 4. 125, 7; 23. 127, 18. 129, 21; 24; 27. 131, 11. 132, 18. 133, 15. 138, 18. 139, 19 cf. 58, 18. 62, 9; 11; 12; 15. 65, 12; 16. 71, 12; 16. 72, 12; 17. 73, 14; 18; 21; 22. 76, 14; 15. 79, 2; 12. 80, 18. 81, 2. 82, 10. 84, 1; 4. 85, 9. 86, 14. 88, 10; 11; 12. 89, 27; 28. 90, 10; 11; 29. 91, 6; 16. 95, 8. 96, 13; 15. 99, 2; 3; 9; 24. 100, 28. 102, 5; 10; 17. 104, 18. 105, 1; 2; 5; 20. 106, 2; 30. 107, 17. 108, 13; 20. 109, 13. 110, 9. 111, 1. 112, 5.

Quod ad auctoritatem scriptorum attinet, apud Charisium p. 62, 8 similiter atque apud Probum p. 209, 27 s. legitur: *quod ego, quia nusquam scriptum puto, nequaquam probo.* Haec Plinii ipsius verba esse suspicor, cum p. 90, 8 Caesaris et Verrii sententiis prolatis, qui

a Plinio profecti sunt, Plinii ipsius sententia ita addatur: *ego autem neutrum probo nec puto.* Cf. Char. 74, 32 *neutrum dico, quia apud auctores nondum exemplum quod sequar inveni.* Universae regulae eiusdem generis atque Probianae leguntur Plinianae Char. p. 122, 16 et 138, 9. Ceteris locis Romanus regulae certum quoddam lemma praefixit velut p. 139, 7 *os* 143, 19 *Saturnalium* 145, 5 *Titanas* aut Plinii nomen celavit velut 121, 8. 128, 7; 12. 146, 12. Sed in quaestionibus singularibus quoque ut apud Probum regulae universae a Plinio afferuntur velut Char. p. 120, 9. 122, 8. 126, 9. 122, 16. 133, 19. 123, 10. 124, 28. 138, 9. 141, 17. Similiter atque apud Probum regulae Plinianae incipiunt formulis: 'omnia nomina' 'omne nomen' 'quaecunque nomina' 'quodcunque nomen' 'nullum nomen': Char. p. 118, 18. 122, 13. 139, 7. 137, 8; 29. 142, 29. 120, 20. 138, 22. 118, 21. 145, 6 cf. 65, 18. 79, 10. 89, 25. 92, 24. Quaestionis porro formulam Romanus a Plinio mutuatus est Char. p. 118, 33 *aqualium an potius aquarium dici debeat quaerit Plinius Secundus* 120, 4 *aestifer an aestiferus? Plinius in eodem libro VI '. . .'* 120, 8 *Augustas. cur pridie Kal. Augustas et non Augustarum dicimus? ubi Plinius Secundus* 135, 13 *laterale an laterare? ubi Plinius eodem libro VI* 136, 22 *mugil an mugilis? Plinius eodem libro VI.* Cf. 95, 3 *ad aequas an ad aquas vocare dici debeat quaesitum est.* In exemplis afferendis Plinius apud Romanum ut particula uti solet sicut Probus. Denique ex scriptoribus, quos apud Probum citatos invenimus, tres sunt — Cicero Fabianus Messala — quibus Plinium apud Romanum cognosci in commentationis laudatae capite altero de Plinio disserens p. 621 ss. ostendi. Grammaticus autem cum a Probo nullus nominetur nisi Sisenna p. 211, 27, ad quem Plinium provocasse Charisii p. 120, 8 disertum testimonium docet, apud Charisium in locis cum Probo cognatis occurrunt: Sisenna p. 107, 9. 120, 8 Verrius 106, 12. 101, 8 Varro 78, 4. 110, 8 Lucilius 78, 4 Caesar 144, 30 Iulius Modestus 125, 3. 101, 1. 204, 22 Aurelius Opilius 128, 1. Quos Romanum a Plinio accepisse in commentatione modo citata demonstravi, in cuius capite altero de his grammaticis singulatim disputavi.

Quoniam Probi libellum ad unum auctorem redire necesse est, quem Romani et Palaemonis Charisii auctorum consensu Plinium fuisse eruitur, non dubito totum Probi de nomine fragmentum pro excerptis ex Plinii dubii sermonis octo libris habere.

Caput IV.

DE CETERORUM GRAMMATICORUM CUM PROBO CONSENSU.

Ceteros grammaticos cum Probo cognatos cum in capite altero adnotationibus tabulae indicaverim, nunc singulorum locos colligam. De quorum fontibus cum nihil fere compertum habeamus, ostendere

non possum, quomodo doctrina Pliniana in singulos grammaticos invaserit. At Plinium artium scriptorum latinorum auctorem primarium et principem fuisse persuasum mihi est. Satis habeo hanc quaestionem protulisse, quae solvi non potest, priusquam singulorum grammaticorum auctores eruimus. Hoc addam doctrinam regularum generalium, quae apud omnes artis scriptores inveniatur, velut de formis casualibus grammaticos ex Plinio solo sumpsisse contendi non posse. Concedendum est nonnunquam de communi grammaticorum materia agi, cuius auctor primarius indagari nequit, ut Plinium tantum deprehendas, ubi grammatici ad verbum fere cum Probo consentiant.

Incipio a libris grammaticis qui Probi nomine feruntur, qui a recentiore grammatico compositi antiquissimam doctrinam mea sententia continent. Primum Probi Catholica cum Excerptis de nomine his locis conspirant:

Prob.	207, 11 : Cathol. IV 8, 33		Prob.	213, 30 : Cathol. 13, 25	
„	207, 29 : „	21, 5	„	214, 7 : „	32, 28
„	209, 6 : „	8, 23	„	215, 27 : „	22, 24. 24, 22.

Sacerdotis, cuius librum alterum Keilius gram. lat. VI p. 420 ad eundem fontem revocavit atque Probi catholica ad verbum fere conspirantia, duo huius libri locos cum Probo contuli:

Prob. 207, 2 : Sacerd. VI 473, 32
„ 209, 6 : „ 473, 21.

λαίωcιν. Omnes enim Neronem matrem occidisse dicunt, quamquam ei imperium dederat, nemo addit 'quamquam ei lucem et vitam dederat mater'. Qua re persuasum mihi est non esse fortuitam congruentiam illam. Sumpsisse autem poetam dictum illud ex Iosepho incredibile est, immo idem utrique scriptori aliunde suppetiisse videtur. Mommsen[1]) Cluvium Rufum fontem esse Iosephi, quatenus res Romanae narrantur, coniecerat et quantum potuit, nam in huius modi quaestionibus certi aliquid nusquam fere dici potest, comprobavit; Bloch autem in libro, quem inscripsit 'die Quellen des Flavius Iosephus in seiner Archaeologie' (1879) p. 155, quaecunque ad historiam Romanam spectant, provenisse putat vel ex iis, quae ipse Iosephus Romae viderat et audiverat, vel ex iis, quae Alityrus, Epaphroditus, Agrippa amici cum eo communicaverant, etsi concedendum esse dicit auctores illius aetatis Iosepho fuisse notos. Usus est rerum scriptoribus ille sine dubio, ut elucet ex A. I. XX 8, 3 (= XX 154 N.). Sed quos ibi commemorat, quinam fuerint, non dicit. Adhibuit Iosephus praeterea ὑπομνήματα Vespasiani, quae saepius velut vitae 65 (342 N.), ib. 358 N., c. Apionem I 10 (56 N.) commemorantur. Adde causas a Mommseno allatas, quas hic retractare longum est. Veri simile igitur est fontem Iosephi fuisse Cluvium Rufum adducimurque, ut et Iosephum et poetam dictum illud de Agrippinae meritorum pretio transtulisse putemus e Cluvio.

Concludimus inde eas quoque similitudines, quas esse inter Tacitum et praetextatam docuimus, ad Cluvi Rufi historias redire. Num autem unum Cluvium et quatenus secutus sit, cognosci nequit, nam nimis et pauca et exilia Cluvi fragmenta sunt. Varietates autem earum rerum, quae in Octavia narrantur, a Tacito omnino nullae traduntur. Secundum Tacitum, nam verba XIV 9 '*haec consensu produntur,* adspexeritne matrem exanimem Nero et formam corporis eius laudaverit' eqs. non modo ad ipsam mortem, verum etiam ad naufragium Agrippinae pertinere veri simile est, omnes de Agrippinae extremo fato congruere videntur, re vera non consentire eos et fabula et Dio demonstrant. Facile autem cogitari posse de Fabio Rustico fabulae fonte, quem inclinasse ad Senecae amici laudes Tacitus XIII 20 tradit, concedo. Verum nusquam Seneca praeter ceteros laudatur, ne commemoratur quidem in tragoedia (nam versus 696 nihil valet) nisi in dialogo Neronis et Senecae v. 376—592. Cuius partis fontem non esse rerum scriptorem aliquem, sed Senecae libros philosophos post Farnabium Braun et Ladek exposuerunt. Quare necesse non est Fabio poetam usum esse putemus. Secutum autem non esse in conscribenda fabula poetam Plinii libros a fine Aufidii Bassi hoc puto certo dici posse, quod omina, quae Plinius[2])

1) in Hermae tomo IV p. 322 et 324.

2) De Plinio cf. Nissenum Rhen. Mus. tom. XXVI p. 497 sq., contra quem Detlefsen in Philologi tomo XXXIV p. 48 scripsit. Cf. Alfredum de Gutschmid litt. Centralblatt 1876 p. 1561.

magna cum fide et accuratissime conlegerat et conscripserat, in Octavia prorsus omittuntur, nam uno totius fabulae loco v. 230 sq. prodigia commemorantur. Accedit, quod de Claudio et Nerone quae in eiusdem scriptoris naturali historia legimus, parum similia sunt iis, quae Octaviae anonymus narrat. Adhibuisse autem Plinium in conscribenda historia naturali ipsius libros a fine Aufidii Bassi constat.

Quam ob rem unum Cluvium a poeta adhibitium esse persuasum habeo ut in re incerta. Quando autem scripserit Cluvius[1]) definire non possumus, nisi quod post Vitellii mortem videtur scripsisse libros vel edidisse. Reicienda igitur est Meiseri (histor. Dramen p. 18) sententia, qui cum ex aliis locis tum ex ultimo fabulae versu concludere voluit factam esse tragoediam anno trium imperatorum. Ceterum Meiseri dictum prorsus fictum esse etiam Ladek p. 94 cognovit eamque aliis causis sententiam impugnavit. Quia autem fabulae poeta libris historicis usus est, non scripsisse eum paulo post annum 70 veri simile mihi videtur esse. Nam si aequalis poeta tempora illa vidisset, rerum scriptorum libros, qui res tum gestas narrabant, certe neglexisset. Sed haec hactenus.

Cum satis dixisse nobis videamur de iis tragoediae partibus, quae res Claudio et Nerone imperatoribus factas referunt, oculos in eos locos vertamus, quibus res Romanae temporibus liberae rei publicae et prima imperatorum aetate gestae enarrantur. Mitto versus 291 sq., in quibus exempla pristinae virtutis Romanae afferuntur, nam Lucretia atque Verginia tritissima sunt exempla virtutis. Alio loco tractabo versus, quibus chorus mortem Gracchorum et Livii Drusi conqueritur ac deplorat.

Altercationis elegantissimae inter Senecam et Neronem fontem primarium esse Senecae libros philosophos iam supra Braunii et Ladekii argumentis nixi diximus; quod Augustus a Seneca mansuetudinis, a Nerone severitatis exemplum affertur, id locis libri Annaeani de clementia (I 9) explicari iam alii ut Ladek p. 78 viderunt, quamquam a Seneca res aliorsum vertitur atque in Octaviae fabula. Tamen omnia hoc modo extricari non possunt. Praeter Senecae libros philosophos[2]) et praeter fontes poeticos, qui in diverbio illo iidem sunt atque in ceteris tragoediae partibus, nisi quod Senecae tragoediae minus, Vergilius, Ovidius, Lucanus magis excerpti sunt, id quod in materia diverbii situm erat, ad describendum bellum civile historico usum esse poetam ut suspicarer, hac re adductus sum. Scimus enim illis

1) De Cluvio cf. Mommsenum in Herm. tom. IV p. 322, Nissenum l. l. p. 530. Recte uterque reiecit Nipperdeyi coniecturam Tac. hist. IV 39 'decessu' pro codicum scriptura 'discessu'.

2) Fuisse poetam rhetorum et scholasticorum arte imbutum, id quod ex ipsius tragoediae natura patet (cf. de ea re Ladekianae dissertationis caput III), etiam versus 498 'Brutus in caedem ducis, | a quo salutem tulerat, armavit manus' docet collato Seneca de benef. II 20 'disputari de M. Bruto solet, an debuerit accipere a divo Iulio vitam, cum occidendum eum iudicaret'.

temporibus, quibus Octaviam compositam esse veri simile est, Neronis et Flaviorum dico aetatem, carmina de bello civili in deliciis poetarum fuisse. Cuius generis carmen imitatum esse fabulae scriptorem ratus perlustravi Petronii et anthologiae (in Baehrensii poetis lat. min. IV nr. 72 et 73) carmina de bello civili. Frustra; hic et illic conspirant cum Octavia, non autem nisi iis locis, ubi uterque scriptor idem urguere debebat. Perlegi Lucani clarissimum carmen: sine dubio multa illius in primis colores rerum atrocium anonymus noster in suum usum vertit, tamen ne Lucanus quidem satis multum Octaviae affert lucis. Accedit, quod Lucanus Augusti et Antonii bellum, quod unum fere in Octavia enarratur, non tractavit.

Tum Ioannis Gerardi Vossii coniectura opinati olim Florum esse poetam Octaviae commotus Iulii Flori epitomen bellorum omnium de Tito Livio sumptam evolvi, quam cum perlegerem, multorum Octaviae versuum statim in mentem mihi venit. Ac primum quidem eos locos enotabo, qui de eadem re agunt:

Oct. 510 'exposita rostris capita[1]) caesorum patres
videre maesti; flere nec licuit suos,
non gemere dira tabe polluto foro
stillante sanie per putres vultus gravi'.

Cf. Flor. II 16 'nam Romae capita caesorum proponere in rostris iam usitatum erat; verum sic quoque civitas lacrimas tenere non potuit, cum recisum Ciceronis caput .. videretur', quem Flori locum excerptum esse e Livio fragmentum Livianum in Senecae rhetoris suasoriis VII p. 33, 12 Burs. = Hertz, Liv. IV 2 p. 232 nr. 48 (cf. Koecher, de Ioann. Antiocheni aetate fontibus auctoritate, diss. Bonnens., p. 13) servatum ostendit.

Octaviae verbis 515 'pavere volucres et feras saevas diu | tristes Philippi' respondent Flori verba II 17 'adsuetae cadaverum pabulo volucres castra quasi iam sua circumvolabant'. Ipsam sententiam in Senecae quoque tragoediis legimus; imitandos sibi proposuisse puto poetam versus H. F. 1208 'feras | volucresque pascens Caucasi abruptum latus', cf. Tro. 567, Thy. 750, 1032, Lucan. IV 810 'Libycas en nobile corpus | pascit aves', nunc autem uterque in eadem re describenda iisdem fere verbis utitur.

Oct. 523 'illic [in Aegypto] sepultum est impie gestum diu
civile bellum'.

Cf. Flor. II 21 'hic [in Aegypto] finis armorum civilium'. Mirum illum sepeliendi verbi usum inveni apud Velleium quoque Paterculum II 90, 1 'Sepultis .. bellis civilibus' (cf. Vell. II 82, 1 et 89, 3). Addo aliam similitudinem inter Velleium et fabulam: Oct. 914 'quis mea digne deflere potest | mala?' Vell. II 67, 1 'huius totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit'. Cf.

1) Cf. Lucan. VII 305 'et caput hoc positum rostris'.

Val. Max. IX 2, 1 'quem neque laudare neque vituperare quisquam satis digne potest'. Octaviae autem poeta sua e Senecae Herc. fur. 1227 'quis vos per omnem, liberi, sparsos domum | deflere digne poterit' sumpsisse videtur. Curtii verba IX 6, 8 'hoc Macedoniae columen ac sidus' imitatur Octaviae v. 168 de Britannico dictus 'modo sidus orbis, columen Augustae domus'; cf. Ov. Pont. III 3, 2 'o sidus Fabiae, Maxime, gentis, ades'.

Addam locos communes Octaviae cum Floro in rebus diversis.

Oct. 291 'vera priorum virtus quondam
Romana fuit'.

Flor. I 7 'tum igitur ... apparuit vera illa Romana virtus'. Cf. Lucan. II 532 'o vere Romana manus'.

Oct. 598 loquitur Agrippina:

'manet inter umbras impiae caedis mihi
semper memoria manibus nostris gravis
adhuc inultis'.

Flor. IV 6 'Caesarem inultus pater et manibus eius graves Cassius et Brutus agitabant'; quos locos iam Gronovius comparavit; adice Lucan. IX 64 'manus hoc Aegyptia forsan | obtulit officium grave manibus'.

Oct. 632 'quo vota ceciderunt mea?'

Flor. I 20 'aliorsum vota ceciderunt'. Quamquam concedendum est non ita graves esse similitudines, sufficere tamen videntur, ut aliquem concludamus conexum. Uterque ex eodem fonte hausisse mihi videtur. Florum e Livio sua sumpsisse maximam partem constat. Et pensitantes, quantopere poeta rerum scriptores in usum suum verterit, considerantes verum illum Romanum animum, qui in Octaviae fabula viget, facile adducemur, ut ipsum quoque Livii ultimos libros lectitasse putemus. Meiser histor. Dramen p. 40 conferri iubet versum 839 'malis domanda est [plebs]' cum Liv. II 54, 10 'malo domandam tribuniciam potestatem'.

Ubique igitur, id quod, quisquis fontes Octaviae poeticos et philosophos indagat, statim animum advertit, poeta ex auctoribus quibusdam pendet, quos tanta cum fide sequitur, ut suis viribus neque poetice quidquam formare neque res gestas, quas tangit, enarrare possit.

Caput IV.

De tragoediae Romanae in primis Annaeanae historia.

Conscriptam esse tragoediam ante Tacitum i. e. ante annum 115 vel 117, post annum trium imperatorum demonstravimus, quae temporis definitio generalibus argumentis quibusdam corroboratur. Post Hadrianum enim tragoediae artificiosae et nomine isto dignae Romae

non inveniuntur. Mimus et pantomimus poesin tragicam oppresserunt. Etiam comoedia desinit. Plerique ne sciunt quidem, quid sit tragoedia.[1]) Unica tragoediarum exempla ex illis temporibus servata, Medea Hosidii Getae et Orestis tragoedia, a Senecae tragoediis tantum abhorrent, quantum a Tartaro tristi polus. At contra ante Hadrianum floruit Romae musa tragica. Id demonstrant tot testimonia; perlegas si placet initium saturae primae Iuvenalis vel apud Martialem percurre tragicorum nomina, quae, quamvis pleraque ficta sint, tamen tum floruisse poesin tragicam ostendunt.

Gravissimus autem exeuntis primi saeculi tragicus, si Tacito fidem habemus, nam Quintilianus, ubi de tragoediae historia loquitur, eum praetermittit, Curiatius Maternus fuisse videtur, cui Ritter vir ceteris in rebus sobrio iudicio praeter ceteros, qui Octaviae operam dederunt, excellens vindicare fabulam voluit infirma atque vana nisus coniectura. Curiatium utrum secutus sit Octaviae poeta necne, diiudicari nequit.

Neque quidquam certi de Pomponio Secundo, quem eruditione ac nitore praestantem longe principem tragicorum sui aevi fuisse Quintilianus X 1, 98 iudicat, et Octaviae poeta dicere audeo, quoniam praeter pauca fragmenta, quae collegit Ribbeck scaen. Rom. poes. I² p. 233 et 286, nihil de Pomponii tragoediis scimus; quamquam non nego, id quod Buechelerus mihi in memoriam revocavit, miram Gracchorum laudem et pro illis temporibus inauditam, de qua post cap. VI disputabimus, facile nobis persuadere posse, ut scriptam esse Pomponii auctoritate laudem illam credamus. Tradit enim Plinius testis omnium de Pomponio integerrimus n. h. XIII 83, ubi de chartarum fabricatione agit, 'ita (i. e. omni adhibita cura) sint longinqua monumenta. Tiberii Gaique Gracchorum manus apud Pomponium Secundum vatem civemque clarissimum vidi annos fere post ducentos'. Fuisse ex gente Gracchorum Secundum inde colligimus. Hoc posito Octaviae poetam Pomponii auctoritate commotum esse ad Gracchorum laudem, facile etiam in ceteris rebus tragicis secutum esse nostrum poetam Pomponium putabimus. Sunt autem, quae tali obstare videntur sententiae. Memineris Quintilianum Pomponium summis laudibus efferre, Senecam tragicum, cuius vestigia noster accuratissime sequi solet, plane praetermittere, id quod mihi quidem tum demum recte iudicari et aestimari videtur, si cetera, quae de genere stili Pomponiani scimus, adiungimus. Tractarant enim secundum Quintiliani testimonium VIII 3, 31 Seneca et Pomponius in praefationibus, an 'gradus eliminat', sententia a Pomponio sine dubio adhibita, dici posset. Addo Pomponium, siquidem fas est grammaticorum testimoniis credere, antiquas et rusticas formas revocare voluisse in ser-

1) Cf. Guil. Cloetta, Beitraege zur Litteraturgeschichte des Mittelalters und der Renaissance I 1890 p. 1 sq. et Friedlaenderi hist. mor. II⁶ p. 621 (ad p. 447).

monem si non cotidianum, tamen tragicum et elatum. Quibus de rebus conclusi adversarios fuisse quodammodo de genere scribendi Senecam et Pomponium. Cum autem Senecam eximia diligentia ubique poeta noster sequatur, veri dissimile mihi videtur esse usum esse eundem Pomponii tragoediis. Incerta autem esse haec omnia concedo.

Praeter Senecae tragoedias Ovidii tragoedia clarissima, cui Medeae titulus fuit (de qua cf. Leonem in observ. p. 148 et 166 sq.), usum esse poetam nostrum inde concludo, quod neminem poetarum, si Senecam omittimus, tam saepe adhibuit quam Ovidium, ut iure Ovidianum, non Vergilianum poetam appelles, quam differentiam factam esse a Romanis duo tituli docent, alter CIL. X 6271 = Wilm. 2480 Formiis repertus '. . .] Ovidianus poeta hic quiescit', alter Romae Wilm. 2481 'Silvano caelesti Q. Glitius Felix | Vergilianus poeta | d. d.'. Vergilium raro sequitur poeta noster et ita, ut eius versus e memoria repetiisse videatur. Nasonem autem hac quoque re Senecam secutus ita expressit, ut non modo saepius integra enuntiata ab illo sumeret, sed etiam ut duos de una re locos Ovidianos in unum componeret in chori cantico ultimo v. 973—983, quod imitatur Ovidii Trist. IV 4, 61 sq. et Pont. III 2, 60 sq., ubi de Iphigenia agitur. Sub finem autem saeculi primi etiam in manibus hominum fuisse et lectitatam esse Medeam Ovidii Tacitus iuvenis dial. 12 et Quintilianus X 1, 98 et VIII 5, 6 docent.

Veterum tragicorum, quos Senecam nosse et secutum esse F. Strauss in dissertatione Rostochiensi anni 1887 'de ratione inter Senecam et antiquas fabulas Romanas intercedente' demonstravit, nulla in fabula nostra vestigia inveni, id quod ad tragoediae Octaviae naturam quadrat nullos archaismos, nulla vocabula pristinam latinitatem sapientia ut autumare clepere plicare similia continentis.

Octaviae autem scriptorem accuratissime sequi solere Senecae novem tragoedias apud omnes constat. Conferas syllogen amplissimam, quam Ladek inde a p. 52 composuit. Adicienda sunt pauca de ratione, quae inter Octaviam et Herculem, quem vocant Oetaeum, est, cuius fabulae alii maiorem, alii minorem partem abiudicarunt a Seneca, quamquam nuper Melzer in programmate Chemnitziano anni 1890 iam supra commemorato[1]) universam Herculis Oetaei tragoediam a Seneca esse conscriptam acriter, sed non recte, puto, demonstrare studuit. Neque enim dubitari posse censeo secundum ea, quae Leo in observationibus suis p. 48 sq. et Ludovicus Tachau (Philolog. tom. XLVI p. 378 sq.) disputavere, quin altera certe tragoediae pars a Seneca abiudicanda sit. In proximo autem est arbitrari eum, qui post Senecae et, ut puto, Neronis mortem (cf. Leonem I p. 75 et 88)

1) Quem sequitur Alfonsius Steinberger, 'HO fabula num sit a Seneca scripta' in 'Abhandlungen aus dem Gebiet der klass. Altertumswissensch., W. v. Christ dargebracht' (Muenchen 1891), quam disputationem veloci tantum oculo perlegere potui.

tragoedias, quas singulas a Seneca editas esse Quintilianus VIII 3, 31 testatur, in unum corpus, cuius exemplar codex Etruscus est, collegit, et Phoenissarum scaenas duas coniunxisse Phoenissarumque nomine inscripsisse (cf. Leonem p. 82) et aut ipsum Herculis Oetaei scaenas Annaeanas (cf. Leonem p. 82) ita perfecisse, ut integra evaderet tragoedia, aut addidisse supplementa alterius, qui scaenas amplificaverat, etsi iam ante corporis editionem exemplaribus Herculis Oetaei Annaeanis addita esse supplementa talia dissimilius veri est. Videamus, num quid notitiae de editionis illius tempore e collatione Octaviae cum Hercule altero lucremur.

Id constat fuisse in manibus Octaviae poetae integrum illud Senecae tragoediarum corpus, cuius rei argumento sint hi loci, quos Ladekii et mea collectione adhibita composui ita, ut prior numerus Herculis Oetaei versum, posterior Octaviae indicet: HO **115**: Oct. **324**; **292** et **1691**: **760**; **339**: **264** et **822**; **417**: **501**; **478**: **691**; **602**: **844**; **717**: **74**; **909**: **863**; **937**: **170**; **1022**: **962**; **1065**: **966**; **1103** et **1132**: **392**; **1507**: **646**; **1707** et **1711**: **134** (cf. Tro. 519 sq.); **1805**: **636**; **1940** et **938**: **396** (cf. tamen Ov. her. IV 132, Prop. II 32, 52). Gravissima autem similitudo duarum fabularum haec est: V. **914** sq. Octavia, ut in philomelam commutetur, optat:

'quis mea digne deflere potest
mala? quae lacrimis nostris questus
reddat aedon? cuius pennas
utinam miserae mihi fata darent!
fugerem luctus sublata meos
penna volucri procul et coetus
hominum tristes caedemque feram.
sola in vacuo nemore et tenui
ramo pendens querulo possem
gutture maestum fundere murmur'.

Idem in Hercule Oetaeo inde a v. **199** Iole, cuius cantico poeta noster non modo hoc, verum etiam aliis locis usus est, optat:

'fugit vultus Philomela suos
natumque sonat flebilis Atthis [Ityn A],
cur mea nondum capiunt volucres
bracchia plumas? felix, felix,
cum silva domus nostra feretur
patrioque sedens ales in agro
referam querulo murmure casus [questus A]
volucremque Iolen fama [turba A] loquetur'.

Sumpsit autem eius partis poeta, seu Seneca seu alius, ad Iolae questum sua ex Agamemnonis Annaeanae cantico **664** sq., ubi chorus de aedone dicit

'non quae verno mobile[1]) carmen
ramo cantat tristis aedon
Ityn in varios modulata sonos' eqs.

quae verba apte iis, quae Euripides in Phaethonte (cf. Wilamowitz in Herm. tom. XVIII p. 402) chorum loquentem facit:

μέλπει δ' ἐν δένδρεσι λεπτὰν ἀηδὼν ἁρμονίαν
ὀρθρευομένα γόοις Ἴτυν Ἴτυν πολύθρηνον,

respondent, ut hoc loco paene in latinum versum a Seneca Euripidem agnoscamus. Ceterum canticum Graecum matutinum universum

---

1) V. 670 E mobile, A nobile tradit; lectionem recensionis Aldinae falsam esse Euripidis verba λεπτὰν ἁρμονίαν et magis docent ipsius verba 'varios sonos'. Ante oculos nondum fuisse poetae recensionis tragoediarum deterioris exemplar, id quod ipsa res ostendit, haec quoque demonstrare possunt. HO 478 Nutrix: Quid istud est, quod esse secretum petis? A iubes. cf. Oct. 691 .. 'quidve secretum petis?' Etrusci igitur lectionem Octaviae poeta sequitur. HO 409 cur [E, quid A] tuas damnas manus? Cf. Oct. 863 'cur meam damnas fidem?' — Addere libet pauca de codicibus nonnullis Octaviae. Cave, ne codicem Guelpherbytanum 331 (366) Helmstadiensem s. XV chartaceum melioris recensionis rivulum esse putes, ut est facile ex catalogi Heinemanniani verbis (tom. I p. 273) 'es sind sämtliche Tragoedien Senecas ausser der Octavia' suspicari, nam typothetam errore pro 'nebst' posuisse 'ausser' ipse catalogi scriptor comiter mecum communicavit. Codex deterrimorum in numero videtur esse. Titulo hoc fabula inscripta est in codice Lugdun. Batav. XVIII 16 E s. XIV membranaceo, de quo cf. Peiperianae editionis praef. p. XXIX: 'incipit octava eiusdem seu. claudius ymo nero in populum romanum'. Ceteris in codicibus eiusmodi nihil inveniri Leo eximia qua est benevolentia mecum communicavit, nisi quod in cod. Neapolitano IV D 48 legitur 'incipit tragedia nona neronis'. Unde mirus titulus cod. Batavi? Ac primum quidem discerpsisse mihi videtur scriba vel quisquis titulum primus tragoediae praeposuit, nomen Neronis 'Ti. Claudius Nero' in Claudii et Neronis nomina. Quare interpolatum esse 'immo' illud censeo. Unde autem 'in populum Romanum' additamentum prorsus ineptum? Recte vidit Buechelerus, qui verba 'imp. R.' i. e. 'imperator Romanus' ab homine stolido ita putat esse depravata. Restituendus videtur esse titulus sic fere 'Claudius Nero imperator Romanus', quibus verbis respondet Neapolitanus titulus 'tragoedia Neronis'. Simile scribae vitium inest in vita Tibulli Suetoniana (v. in Baehrensii ed. p. 88): 'Albius Tibullus eques regalis', quae verba Baehrens Tibull. Blaetter p. 4 sine ulla iusta causa orta esse putat ex 'A. T. eques R. e Gabiis'. Scriptum erat 'eques R.'. R litteram supplevit aliquis in 'regalis' pro 'romanus'. Vereor autem, ne titulus ille Octaviae antiquitus traditus non sit, immo additus medio vel potius renascentium litterarum aevo. Cf. quae de titulis variis Senecae apocolocyntosis Buecheler (symb. phil. Bonn. p. 35) dixit. — Quodsi Ioannes Huemer in commentatione 'aus mittelalterlichen Buecherverzeichnissen' in stud. Vindobon. tomo VII p. 329 e verbis catalogi monasterii St. Amandi ('Elno') s. XII (Bekker p. 232 nr. 72) 'Marius Plotius de metris cum proverbiis Senecae et cum ludo ipsius de morte Neronis' elicere conatur Octaviae fabulam, falsus est. Apocolocyntosin Senecae dici patet, id quod codex ille nunc exstans demonstrat (cf. Buecheleri Sen. apoc. ed. in symb. phil. Bonn. p. 73 nr. 2). Ceterum in ipso codice legitur 'de morte Claudii Neronis'.

Seneca imitatus est Herculis Furentis versibus 125 sq., quibus chorus diei initium cantat.

Quod autem Octaviae poeta tanta cum industria et diligentia Senecam sequitur, definiendi temporis, quo conscripta sit praetextata, circulum paulo angustiorem facere possumus. Nam perlustrantes aevum Taciteo superius si quaerimus, quando potissimum eius modi tragoedia oriri potuerit, meminerimus non ita multis annis post Senecae mortem reluctari homines coepisse huius auctoritati nisos inprimis adversus Senecae genus dicendi. Cf. Lucianum Muellerum in Iahni ann. tom. 89. 1864 p. 420 sq. Omitto Frontonianos, quorum iudicia acerbissima de Seneca collecta habes in Teuffelii hist. litt. Rom. § 288, 1. Iam Quintilianus[1]) adversarius acer Annaeani stili exstitit (inst. or. X 1, 125 — 131). Editam esse institutionem oratoriam anno 96 Fridericus Vollmer in Rhen. Mus. tom. XLVI p. 343 sq. demonstravit. Neque est, cur putemus a Quintiliano Senecam pedestrem scriptorem damnatum, poetam non damnatum esse. Dubitari quidem potest, num loco illo celeberrimo de Senecae tragoediis dixerit. Legimus enim 'tractavit etiam omnem fere studiorum materiam: nam et orationes eius et poemata et epistulae et dialogi feruntur'. Et Bonnellius et Peterson in editione libri X negant 'poemata' pertinere ad tragoedias. Sed vix aliorsum verbum illud spectare potest[2]), nisi Quintilianum sola epigrammata, quorum nonnulla in anthologia Senecae nomine inscripta circumferuntur, significasse putabimus, tragoedias plane praeterisse, quamquam eo quoque institutionis loco (X 1, 97 —100), ubi tragicos poetas Romanos enumerans veteres Accium et Pacuvium, recentiores Varium Ovidium Pomponium nominat, cui iudicio Taciti dial. 12 conferas, plane is, quem nos summum tragicum primi post Christum saeculi habemus, Seneca neglegitur. Quod silentium ex ipsius Quintiliani verbis X 1, 125 'ex industria Senecam in omni genere eloquentiae distuli' eqs. non plene expeditur, nam in hoc quoque Senecae iudicio tragoediae nisi generali poematum voce comprehensae non commemorantur. Apparet Quintilianum non modo libros prosa oratione scriptos, sed etiam tragoedias damnasse. Neque poterat tragicus Seneca separari a philosopho, nam in utroque idem 'corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus' invenimus. Quam ob rem veri simillimum est iam in libro deperdito, quem anno 92 professor ille eloquentiae de causis corruptae eloquentiae scripserat, Senecam poetam quoque tractatum esse.[3]) Iam locus ille oratoriae

1) De Quintiliano Senecae iudice egregie disputasse mihi videtur Peterson Quintil. lib. X (Oxoniae 1891) praefat. p. XXIV—XXVIII.

2) Item iudicat Alfredus Pais, il teatro di Seneca, Turini 1890, p. 5.

3) Verba X 1, 125 'quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendo' aperte demonstrant iam in libro de causis corruptae eloquentiae Senecam vehementissime vituperatum et iudicatum esse. Cf. dissertationem Gottingae a. 1884 ab A. Reutero de libro illo scriptam p. 28 sq. Recte Ladek p. 75 'propter mirum illum in omnibus rebus consensum (inter Senecae tragoedias

institutionis declarat Senecam anno 96 expulsum fuisse e manibus legentium. Cf. § 125 'tum autem solus hic fere in manibus adulescentium fuit' et § 126 'quem non equidem omnino conabar excutere' ut omittam alios locos.[1]) Num putabimus Octaviam, cuius unaquaeque fere vox e Senecae non modo tragoediarum[2]) verum etiam philosophorum librorum thesauro deprompta est adeo, ut quasi pusillus Seneca poeta appareat, factam esse, postquam a Quintiliano omnibus Annaeani stili vitia patefacta sunt?

Quare persuadebimus nobis post annum 92 praetextatam eius generis conscribi non potuisse Romae.

Caput V.

De hominum domus Augustae appellationibus, quibus poeta utitur.

Accurate perlustrantes titulos, quos poeta personis, quas loquentes facit, attribuit, statim cognoscimus rectissime suos cuique personae titulos dari. Nego autem potuisse poetam posterioris aetatis, qui imperatorem 'dominum et deum', eius uxorem 'dominam et Augustam' appellare consuevisset, tam pure et munde titulos exprimere aevi Claudiani et Neroniani.

Iam supra adversus Schillerum Octaviam non fuisse Augustae titulo ornatam diximus. Hisce in rebus plane abicienda sunt Graeculorum testimonia, nam in orientis provinciis longe aliam rationem Caesarum cultus fuisse ac Romae et in provinciis latine loquentibus nemo nescit. Quis unquam audivit Agrippinam aut Messalinam divas appellari? Tamen in nummo Corinthio (Cohen monn. I² p. 272 nr. 8) legimus DIVA AGRIP .... AVGVSTA.[3]) Messalina in nummis

---

et Octaviam) tutius est statuere Octaviam non multo post Senecae mortem compositam esse. quod Quintilianus Inst. or. X 1, 125 de Seneca in universum dicit, eum fere in adulescentium manibus fuisse, id quin ad eius tragoedias potissimum referendum sit, non dubito'.

1) Conferri iubet Peterson praef. p. XXVIII Suet. Calig. 53 'lenius comtiusque scribendi genus adeo contemnens, ut Senecam *tum* maxime placentem commissiones meras componere et harenam esse sine calce diceret'.

2) Rectissime Ladek de imitatione Senecae observavit p. 74 sq. Octaviae poetam nullum versum integrum ex illius fabulis mutuatum esse. 'sunt fere Senecae verba, quae in hac fabula leguntur, verborum coniunctiones eaedem sunt ...., idem color. quot in Octavia et aliis tragoediis versus ab iisdem verbis incipiunt, quot iisdem finiuntur' eqs. Octaviae poeta adeo Senecae genus dicendi, colores, formulas, elocutionem recepit, ut eius fabulam non imitationem stolidam, quali alterius Herculis Oetaei partis poeta (cf. Leo p. 51 sq.) vel Boethius Senecae locos imitati sunt (cf. Ladek p. 75), sed potius re vera Annaeanam fabulam appellare possimus.

3) De Agrippina in Asia Cereris nomine culta cf. Kaibelium in Eph. epigr. II p. 8 sq.

Graecis etiam θεὰ σεβαστὴ nominatur (Cohen ib. p. 269), in nummo Nicaeensi, quem cudit Γ. Κάδιος Ῥοῦφος ἀνθύπατος, legitur Μεσσαλεῖνα σεβαστὴ νέα Ἥρα (Coh. ib. p. 268), etsi Dio dilucide narrat Messalinae Augustae nomen non esse datum LX 12: [Κλαύδιος] οὔτ' Αὔγουστον αὐτὸν [Βρεταννικὸν] ἢ τήν γε Μεσσαλῖναν Αὔγουσταν ἐπικληθῆναι ἐφῆκεν. — Item ut de Agrippina et Messalina iudicandum est, si in nummis Teiis Octavia θεὰ et σεβαστὴ nominatur. Schiller in Neronis hist. p. 312 nixus iis nummis, quos Eckhelius (doctr. numm. vet. tom. VI p. 285) descripserat, Octaviae fuisse titulum Augustae contendit. Numismata Graeca omittenda esse vidimus. Describit autem Eckhel nummum, cuius in anteriore parte Octavia velata stat ante aram circumscriptis verbis 'Octavia Augusta', in altera parte 'Agrippina Aug.' legitur. Frustra id aes in Coheni nummorum descriptione quaesivi. In ceteris Octaviae monetis (Coh. p. 312 sq.) quod legitur OCTAVIA AVG., explendum est ita AVGVSTI, cf. Coh. p. 313 nr. 1 'Nero Clau. Caes. Aug. Imp. Octavia Augusti'. Cassium Dionem sui aevi appellationem transtulisse in aevi Neronei homines apparet, nam Xiphilinus LXII 13 et Zonaras tom. III ed. Dindorf. p. 39 uterque Octaviae mortis narrationem sic exorditur ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ ὁ Νέρων Ὀκταουίαν τὴν Αὔγουσταν ἀπεπέμψατο. A nullo autem rerum scriptore Romano Octaviae is titulus attribuitur neque in inscriptionibus Augusta appellatur. Octaviae re vera titulum hunc non fuisse testantur acta fratrum Arvalium. In actis anni 59 traditur 'L. Píso . . . . vota nuncupavit pro salúte Neronis . . . et Octaviae coniugis eius.' Eodem die annorum 60 et 61 (Henzen Act. fr. Arv. [Addenda] p. 237) pro salute Neronis et 'Octaviae coniugis eius' immolatur. Nusquam in fabula Octavia Augusta appellatur.[1])

Neque Poppaea in fabula Augusta appellatur, quae anno demum 63 (Tac. XV 23) Augustae, anno 65 post mortem divae titulum adepta est. Rectissime autem Agrippinae bis v. 328 et 748 Augustae titulus datur ipso nomine feminae non adiecto

v. 328 'scindit vestes Augusta suas'

et v. 748 'fax illa,, quam secuta es, Augustae manu
praelata' eqs.

Cui rei fortasse respondet, quod 'domina' una Agrippina appellatur v. 352 et 367.[2])

---

1) Quodsi compluriens altera Iuno nominatur, quia Neronis et uxor et soror est (v. 219, 535, 282), comparari potest, quod de sorore L. Silani in ludo de morte Claudi Seneca dicit VIII 2 'L. Silanum enim generum suum occidit. oro, propter quid? sororem suam festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocabant, maluit Iunonem vocare'.

2) Quanta fuerit Agrippinae potentia, optime scit poeta, ut e v. 156 'ausa est imminere orbis imperio sacri' et in primis e v. 952 'quid, cui licuit regnum in caelum | sperare, parens tanta Neronis?' videmus. De Agrippinae potentia cf. Mommseni roem. Staatsrecht II 2 ³ p. 788 adn. 4, p. 807 adn. 1, p. 821 et 831.

Tragoediam illis temporibus adscribendam non esse, quibus imperatorum appellatio usitatissima erat 'dominus', inde quoque concludo, quod nusquam quisquam in fabula dominus[1]) nominatur.

Clarissime[2]) autem conscriptam esse fabulam primo saeculo Claudii imperatoris titulus docet.[3]) Scimus e rerum scriptoribus Claudium mortuum inter divos relatum esse a Nerone filio adoptivo.[4]) Cf. Suet. Ner. 9; Tac. XII 69 XIII 2, Dion. LX 35, Eutrop. VII 13.[5]) Unus autem Suetonius plura de historia tituli illius tradidit Claud. 45 '[Claudius] funeratus est sollemni principum pompa et in numerum deorum relatus, quem honorem a Nerone destitutum abolitumque recepit mox per Vespasianum'. Secundum id Suetonii testimonium, qui auctor, etsi non nunquam falsa sunt, quae tradit, tamen a nullo consulto falsa prodidisse coargutus est, cui eam ob causam plerumque fiducia debetur, Nero aliquo modo seu senatus consulto seu privato iussu consecrationem Claudii sustulisse videtur. Sic omnes, qui eum Suetonii locum tractaverunt, interpretati sunt. Vide quae dixere Mowat l. l. p. 222, Beurlier p. 33, Hirschfeld l. l. p. 841 'die Apocolocyntosis

---

1) De eo titulo cf. Friedlaenderi hist. mor. Rom. I 6 p. 443, Eckhelii doctr. numm. vet. VIII p. 364, Schoener, d. Titulaturen d. roem. Kaiser in Actis sem. Erlang. II p. 474 sq.

2) Adductus sum, ut ea, quae secuntur, exponerem, Buecheleri brevi eius rei significatione, quam in collegio, quo grammaticam latinam tractare solet, audivi. Quoniam autem nusquam quidquam eius rei in virorum doctorum libris inveni, supervacaneum esse non putavi, quae ego de eius tituli fatis inveneram, publici iuris facere.

3) Claudium vivum divinum principem appellatum esse acta Arvalium docent, secundum quae IIII Kal. Iul. annorum 50—54 in Capitolio vota nuncupantur pro salute Neronis in ea verba: '[Iu]ppiter optime maxime, te pr[ecamur quaesumusque, uti] | [t]u Neronem Claudium subo-[lem Agrippinae Aug., Ti. Claudi Caes. Aug. Germ.] | [d]ivini principis parentisque [publici filium, principem iuventutis, salvom incolu] | [m]emque conserves' eqs. Conferas titulum Puteolanum CIL. X 1558 '[Fortunae pu]blicae · sacrum | [? ministra]e · sacerdoti · di[vini] | [nostri im]peratoris · Ti. Claud[i Dru] | [si f. Caes . Aug]usti · Germanici · pont[ificis] | [maximi tr. pot. V]I · cos. III · design. IIII · imp. XII · p. [p.].' p. Chr. 46. Cf. de ea inscriptione Hirschfeld 'Zur Gesch. des roem. Kaisercultus' in actis acad. Berolin., 1888 II p. 843 adn. 48. De Claudio vivo divinis honoribus instructo cf. Alfr. Fincke, de appellationibus Caesarum usque ad Hadriani aetatem (Regimonti 1867) p. 25.

4) Nero ab Octavia v. 249 'Nero insitivus, Domitio genitus patre' nominatur. Sic olim correxit Lipsius. Eckhelius autem (doctr. numm. VIII p. 466) et Spanhemius (de praest. et usu numism. p. 651) cum veteribus 'Nero ipse divo Domitio g. p.' legentes Domitio patri a Nerone honores caelestes adiudicatos esse putabant, quos secuti sunt Robertus Mowat in bulletin épigraphique tome V 1885 p. 229 sq. et René Cagnat in 'cours d'épigraphie latine' 1889 2 p. 166. Hirschfeld l. l. p. 847 adn. 6 tandem nugas illas explosit. Cf. Beurlier, culte des empereurs p. 35.

5) De Claudi consecratione cf. Eckhelium d. n. VI p. 244 sq., qui nummis nisus pro isto aevo accurate eam rem exposuit et Marinium, Atti degli Arvali p. 112 et quae Gaston Boissier, la relig. rom. I p. 194 exposuit. Claudi titulos et nummos eximia composuit diligentia olim Lehmann, Claudius und Nero 1858 tom. I in appendice.

ist sicherlich aus Anlafs der von dem kaiserlichen Zoegling Senecas vollzogenen Cassierung der vom Senate decretierten Apotheose des Claudius veroeffentlicht worden' (sequitur Suet. Claud. 45). Destituisse Neronem Claudii consecrationem, si re vera destituta est, post matricidium putabimus, nam vix ausus esset Nero viva matre tale quid facere. Proferre poterant illi, qui veram esse Tranquilli narrationem putabant, alterum Suetonii locum Vesp. 9. '[Vespasianus] fecit et nova opera templum Pacis ..... divique Claudi[1]) in Caelio monte coeptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum', nam cohaerere artissime divi Claudi cultus destitutionem et templi destructionem verisimile cuique videbitur esse. Restituit, neque ego dubito, quin vera sint, quae Suetonius narrat, templum Vespasianus. Vespasiani autem inscriptiones ad Claudium spectantes eum divum appellant, senatus autem consultum initio imperii Vespasiani decretum de imperio Vespasiani, Augusto divinos tribuit honores, Claudio negat. Qua ex re concludere illi poterant re vera usque ad id tempus, quo Vespasianus divi Claudi templum restituit, eius cultum atque venerationem cessasse. Tertium fortasse firmamen sententiae suae illi invenire poterant in ipsa Octavia; versu enim 241 sic Octaviam exclamantem facit poeta de Nerone

'hic hostis deum
hominumque templis expulit superos suis
civesque patria',

quae verba alludere posse ad divi Claudi cultum abolitum aut templi destructionem, quis est, qui neget? Fortasse autem etiam ad aliam rem pertinent, quam nos quidem nescimus, nam religionum usque quaque contemptorem fuisse Neronem Suetonius Ner. 56 tradit. Omnes autem causas, quas adversus memet ipse protuli, ipsa documenta aetatis Neronianae et anni trium imperatorum ad Claudium spectantia refutant atque velut monetas falsas reprobant. Si re vera Claudii honor divinus abolitus atque destitutus esset a Nerone,

1) Templum divi Claudi a Frontino de aquis u. R. I 20 et II 76 commemoratur et in inscriptione CIL. VI 10251 *a* iam a Marinio laudata 'D. M. s. T. Flavio · | Aug. lib. Trophimo · constitu | tori · collegi · numinis · dominorum | quod est · sup templo · divi · Claudi | qui · vixit · annis · LXXXVII · v(ale) · v(ale) · v(ale) | aliquando · securus · sum'. De huius templi situ v. Gilbert, Gesch. u. Topographie von Rom 1890 III p. 124. Num Aurel. Victor Vesp. § 7 '[a Vespasiano] Romae Capitolium, quod conflagrasse supra memoravimus, aedes Pacis, Claudii monumenta, amphitheatri tanta vis, multaeque aliae, ac forum coepta ac patrata' et Epit. IX 8 'Capitolium, aedem Pacis, Claudii monumenta reparavit multaque nova instituit' (iisdem verbis utitur historia miscella ed. Eyssenhardt p. 197, 19 sq.) ad divi Claudi templum renovatum spectet, mihi quidem valde dubium est. Ego Torrentio ad Suet. Vesp. 9 adstipulor, qui in primis aquam Claudiam intellegere vult, quam restituit Vespasianus, vide titulum p. 304. — Templum divi Claudi in Britannia a Tacito XIV 31 et Seneca apocol. 39 commemoratur.

vestigia eius quasi damnationis, quae post consecrationem a senatu decretam nisi senatus consulto fieri non poterat, ubique animum adverteremus et in Taciti libris totum fere Neronis imperium complectentibus et in inscriptionibus eius aevi. Unius autem Suetonii testimonio certo ea res nititur.

Inspiciamus acta fratrum Arvalium. Divo Claudio una cum divo Augusto et diva Augusta, postea Claudia Neronis filiola et Poppaea consecratis etiam una cum diva Claudia et diva Poppaea a fratrum Arvalium magistro immolatur, quoad id e tabulis inde ab anno 60 lacunosis cognosci potest, III. non. Ian. annorum 57 58 59 60, IX. Kal. Iul. anni 59, IV. et III. Id. Oct. annorum 58 59 66, incerto die annorum 57 61 66. Per universum igitur Neroniani imperii tempus ab Arvalium collegio amplissimo et honestissimo et in titulis hominum cautissimo ac prudentissimo Claudio divini honores attributi sunt.

Divus Claudius ab aliis quoque seu privatis seu collegiis seu civitatibus colitur Nerone imperatore. Eodem fere tempore, quo senatus moneta aurea in Coheni sylloge I² p. 253 nr. 31 'Divus Claudius Augustus'. ℞ 'Ex · s. c.' quadriga cum Victoriis[1]), orbi et urbi Claudii consecrationem nuntiavit, incisum esse titulum CIL. III 1947 = Wilm. 900 Salonis Dalmat. repertum ipsa inscripta docent:

I. o. m. et | dIvo · Claudio · Caesar[i] | Aug. German. trib. pot. XIIII | P. Anteius · P. Antei. Syri. l | Herma. IIIIII · vir . et · Aug(ustalis) · | porticum · v. s. l. m. loc. accep̄. d. d.,

quo de titulo posito anno 54 cf., quae Wilmanns ei adnotavit collato simili divi Traiani titulo Wilm. 936 anni 117, cuius ipsius anni mense Augusto vita decesserat Traianus. Cf. etiam titulum CIL. II 963, quem post adscribemus, et nummos apud Coh. p. 311 nr. 1—3.

Qui secuntur huius generis tituli, eos certo anno attribuere non possumus, quin autem Nerone Caesare conscripti sint, nemo dubitabit.

CIL. VIII 1015 (Carthagine rep.)

Divo Claud[io] | vivas in deo

'Apparet monumentum antiquius christiana aetate in titulum sepulcralem mutatum esse.' Titulus fortasse ad Claudium Gothicum referendus est.

CIL. X 7281 (Panormi, literis aetatis sequioris)

Divo Claudio | res p. Panhormit

CIL. XII 641 (in agro Arelatensi rep.)

Divo Claudio | ex testamento | L. ValerI | Placidi

Bullet. 1853 p. 14 Lehm. nr. 407 (Romae rep.)

Imp. Divus Clau|dius Drusi f.

Cetera, quae ad divi Claudi sacra pertinent, post tractabimus.

Vix autem adhuc me satis comprobasse puto sententiam meam, non sustulisse Neronem divi Claudi consecrationem. Quare nova

---

1) Cf. nummos provinciales Coh. I² p. 267, 8 et p. 309 nr. 431—433 Corinthi et Ptolemaide Galilaeorum cusos.

argumenta aggeranda sunt. Neque desunt. Quem ad modum Tiberius imperator divi Augusti filius, divi Iulii nepos in inscriptionibus nominatur, sic Nero quoque patris avi proavi abavi nomina suo adiunxit, ut pleno nomine nominetur 'Nero Claudius divi Claudi filius, Germanici Caesaris nepos, Ti. Caesaris Augusti pronepos, divi Augusti abnepos, Caesar Augustus Germanicus' eqs. Non modo in inscriptionibus, sed etiam in nummis sic Nero appellatur. In nummis plenior quidem tituli forma non invenitur, sed unum patris nomen adiectum nomini Neronis. Saepe sic in nummis, plerumque in quibus ipse cum alia domus Augustae persona coniungitur. Enotavi e Coheni collectione nummorum haec exempla:

I. Coh. p. 311 nr. 1 Nero Claud. divi Claud. f. Caesar Aug. Germ. ℞ Divos Claud. August. Germanic. pater Aug(usti).
p. 311 nr. 2 et 3 item.
p. 266 nr. 1—3 similiter.

II. Coh. p. 275 nr. 1 et 2 Agrippina Augusta mater Augusti ℞ Nero Claud. divi Claud. f. Caesar Aug. Germani.
nr. 3. 4. 6. 7 Nero Claud. etc. ut supra ℞ Agripp. Aug(usta) divi Claud.[,] Neronis Caes. mater [;] ex · s. c.

In nummis illis, in quibus unus Nero depingitur, raro Nero se divi Claudi filium appellat:

Coh. p. 280 nr. 32 Nero Claud. divi Claud. f. Caesar Aug. Germani. ℞ Armeniac. Victoria palmam gerens. Caesareae Cappadocum ortus? a° 58?[1])

Coh. p. 301 nr. 336 Nero divi f. Caes. Aug. p. m. tr. p. II ℞ Vict. Aug. — a° 55.
p. 302 nr. 351 et 352 Nero Claud. divi Claud. f. Caesar Aug. Germani. ℞ sine verbis. Victoria. Nummus in Asia cusus.

Quonam tempore nummi illi orti sint, certo dici nequit. Tamen, quos sub I complexus sum, non ita multo post obitum patris cusos esse ipsa res demonstrat. Nummos, in quibus Neronis et Agrippinae Augustae nomina coniuncta videmus, primo Neronis anno factos esse Mommsen roem. St.-R. II[1] p. 779 demonstrat.

In inscriptionibus haec Neronis tituli exempla inveni. Ac primum quidem ea afferam, in quibus plenior tituli forma invenitur ut in miliario CIL. X 8014

A Turre XVI (m. p.) | Imp. [Ne]ro [Claudius] divi | [C]laudi · f. [Ger]manici | [Caes]aris · n. [Ti.] Caesaris | [pron. di]v[i Aug.] abn | [Caes]ar A[ug. G]ermanic | [pont. max. trib. p]otes[t.] XIIII | · · · · · [imp.] XII ·

Scriptus est anno **55** titulus CIL. II 4719, **57** II 183, 1281 (mutil.), 4734, **57/58** II 4884, **55—57** III 382, **58** VII 12, XII 5459, de Villefosse, inscriptions de Fréjus 1884 nr. 67, **58/59** III 346, **54—58**,

1) His de nummis cf. v. Sallet, Ztschr. f. Numism. XIV 1877 p. 316.

II 1392 (mutil.), **60** III pag. 845 diploma veteran. alterum, **61** III 6123, **62/63** II 4888, **66** XI 1331, 1332, **67/68** X 8014; incertis Neronis annis scripti sunt tituli CIL. II 184, 4926 (mutil.), 4928 (mutil.), VI 925.

Divi Claudi filius non additis verbis 'Germanici Caesaris nepos' eqs. nominatur Nero in inscriptionibus his:

CIL. IX 4115 (Aequiculis rep.)

Imp. Caesar | divi · Claudii | f. August. Ti | Neroni | pontif. max | trib. pot. IIII · con. III | d. d (anno 58/59).

CIL. X 5171 (Casini rep.)

Neroni · · · · · | Claudio [divi f.] | Caesari · [Aug.] | Ger. pont. [max.] | tr. pot. XIII · [imp.] | VIII · cos. IIII · [p. p.] | L. Stenius Sil. · · · · · | ex · testamento (anno 66).

Addo eos titulos et nummos, in quibus divus Claudius adhibetur ad nomina Agrippinae, Antoniae, Octaviae.

Coh. I^2 p. 275 nr. 1—4. 6. 7 (v. supra) 'Agrippina divi Claudi'.

CIL. X 5185 (Casini rep., supplementa incertissima sunt)

Agrippin]ae divi Claudi | · · · · · cus accensi divi | [Claudi A]ugustales

v. 1 [Agrippin] supplevit Mommsen in indice corporis tomi X, v. 3 [Claudi] ego.

Agrippinae titulos numen infestum insequi videtur. Habemus titulum Aruccitanum provinciae Baeticae CIL. II 963, quem e variis antiquioribus apographis sic restituit Aemilius Huebner: 'Iuliae ·
neronis
Agrippinae · ////////// | Caes. Aug. Germanici | matri · Aug. n | civitas · Aruccitana' Neronis nomen consulto erasum esse ratus. Mommsen autem 'propter „Augustae nostrae" titulum hac aetate' — ante annum 59 scriptum esse titulum patet — 'insolitum et matris vocabulum nominibus Neronis postpositum neque ita, ut hoc loco legitur, avellendum ab eo, quod sequitur Aug. n.' mavult sic fere: 'Iuliae Agrippina[e divi Claudi] Caes. Aug. Germanici matri Aug(usti) n(ostri) civitas Aruccitana', quam tituli restitutionem probo. Conferas quae supra p. 293 de divorum titulis adnotavi ad CIL. III 1947.

Bull. della commiss. arch. com. XIV 1886 p. 302 nr. 1328 (Romae rep.)

Agrippina [Aug] | divi · Claud[ii] | Germanic[i] | Caesaris · (uxor).

Antoniae titulum inveni CIL. VI 14959 (Romae rep.)

DIs Mánib | Claudiae | Eglecte | Antoniae dívi | Claudi f. delicio | piIssimae · et · b. m | v. a. VI · m. I · d. VIIII | Threptus Ecloge | parentes fec.

Divum Claudium in Octaviae titulis reperi in nummo apud Coh. p. 313 nr. 4 descripto: · · · · · DIVI F · · · CO · O · II · VIR · COR(inthi) · ℞ NER · · · · et in inscriptione

CIL. VI 9015 (Romae rep.)

Claudia · Octaviae · divi · Claudi · f. lib. Peloris | et · Ti. Claudius · Aug. lib. Eutychus · proc. Augustor | sororibus et · lib. libertabusque posterisque eorum | formas · aedifici · custodiae · et · monumenti · reliquerunt.

Ex exemplis tot congestis hoc certissime discimus Neronem nunquam desiisse se divi Claudi filium nominare. Qui autem is, qui divi Claudi honorem caelestem destituit et abolevit, semet ipse divi Claudi filium appellare potest? — Sequantur ceteri divi Claudi tituli, quos Nerone imperatore insculptos esse aut certum aut veri simillimum est.

CIL. VI 1331 (Romae rep.)

M'. Acilio C. f. · · · · | quaestori · divI · Cl[audi · · · · procos] | provinciae · Narb[onensis · · · · ·] | s · · · · sodali [Augustali].

Borghesi opp. II p. 137 adstipulantibus Liebenam (roem. Verw.-Gesch. I p. 246) et Waddington fast. p. 139 tribuit M'. Acilio Aviolae cos. a. 54, procos. Asiae 65/66, 74—77 curatori aquarum. Henzen cogitabat de Acilio Strabone (cf. Tac. XIV 18).

CIL. IX 3602 (Aveiae Vestinae in collo, qui imminet Monticulo rep.)

P. Tebanus · P. f. Quir | Gavidius · Latiaris | quaestor | divi · ClaudiI · tr. pl. pr | per · omnes · honores | candidatus · Augustor | Feroniae

CIL. VI 1442 (Romae rep.)

L. Licinius · · · · adlec[tus a divo] | Claudio · inte[r quaestorios] eqs.

CIL. XII 5842 (Vasione rep.)

Vasil [L pro E]ns · Voc | patróno | Sex. Afranio · Sex. f · | Volt. Burró | trib. mIl. proc(uratori) · Augus | tae · proc. TI. Caesar | proc. dIvi · ClaudI | práef. pra[e]torI orna | mentIs · consular

Burrus mortuus est initio anni 62.

Bulletino della commissione arch. comunale VIII 1880 p. 172 (Romae rep.)

Q. Treb[ell]io [Q. f. T]er. Catulo | quaest[ori p]ro[vinci]ae · Narbonensis | tribuno [plebi]s · le[gato di]vI · ClaudiI · leg. XVI · · · · ·

Addas

CIL. III 6074 (Ephesi rep.)

M. Helvió · L. f. Fal | Geminó · III · vir. a. a. a | f. f. salió · Palatino · trib | mIlit. leg. XVI · Germániáe | q(uaestori) · Caesaris · práet. leg. Maced | pro · pr. lég. Asiáe · pro · praet | ad · lecto · inter · patricios · a | dIvo · Claudio

CIL. X 5188 (Casini rep.)

M. Obultronius · Cultellus · praef. fabr | divi · Claudi · iussu · Caesaris · dedicavit.

CIL. X 5182 = Wilm. 1139 (Casini rep.)

C. Vmmidio C. f. Ter. Durmio | Quadrato · cos. XV · vir · s. f. | leg. Ti. Caesaris · Aug. prov. Lusit | leg. divi · Claudi · in Illyrico · eiusd. et | Neronis · Caesaris · Aug. in Syria eqs.

Quadratum a. 60 mortuum esse Tacitus XIV 26 testatur. Cf. de eo Liebenam l. l. p. 156.

CIL. X 5185 v. supra p. 295.

CIL. XIV 3644 = Wilm. 1303 (prope Tibur rep.)

C. Iulius · Aug. l. Sam[ius] | próc | accénsus · dIvI · ClaudiI · et | Nerónis · Augusti | patronórum.

Ephem. epigr. tom. IV p. 343 nr. 926 ad CIL. VI part. 1:

Ti. Iulio · Aug. lib | Xantho · tractatori | Ti. Caesaris · et | divi · Claudi | et · sub. praef. classis | Alexandriae | Atellia · Prisca · uxor | et · Lamyrus · l. heredes | v. a. LXXXX

CIL. X 527 (Amalfiae rep.)

Ti. Claudius · DIvI · l. Erastus | scriniarius · ab · epistulis | fecit · sibi · et | Valeriae · Chione · coniugi | suae · libertis · libertabusque · suis | posterisque · eorum

CIL. VI 1921 (Romae rep.)

Nérito · dIvI · ClaudiI · [liberto] | principi · officiI · imper. · · · · | viátóri · appa[ruit · Augusto] | Iúliae · Chrysei[di coniugi] | Nerito . fIlio · dIvI · [Claudii · l. tabul. vect] | Ilyrici | Claudiae · Monta[nae filiae? et] | lIbertis · lIbertabu[sque post. q. eor]

CIL. VI 4305 (Romae rep.)

Ti. Claudius · divi · Claudi · lib. Actius | honoratus · curator · Germanorum | et · aedituus · Dianae · Cornif. collegio · magno | trib (unorum) · divae · Augustae · triclam · cum columnIs | et · mensIs · et · maceria · s(ua) · p(ecunia) · d(edit) · d(edicavit)

CIL. VI 8554 (Romae rep.)

Dis · Manibus | Ti. Claudius | didI ClaudI · lIb | [Di]pterus | vestificus · Caesar · | a veste · scaenica | Claudia · Lycoris | fecit · coniugi · suo · et | sibi · et · suis

CIL. VI 8636 (Romae rep.)

T. Claudius | Lemnius | divi · Claudi | Augusti · lib | a studiIs

CIL. VI 9060 (Romae rep.)

Hospiti · divI | Claudi · liberto | tabulario | Leonidiano | Polybius · lib | et · sibi · fecit · et · suis | posterisque · eorum

CIL. VI 15314 (Romae rep.)

Ti. Claudio · Vi[ctor]i · Antonia[no] | dIvI · Claudi · lib. v. a. v. | Claudia · Nebris · mater · Claudius · Herma · pa[ter] | filio · piissi[mo] | fecerunt.

CIL. II 159 = Wilm. 2684 (Ammaiae Lusitan. rep.)

P. Cornelio | Q. Macro | viritim . a divo | Claudio · civitate | donato | quaestori · II vir | ex testamento · ipsius | Quintius · Capito | cum Q(uinto) · f(ilio) · h(erede) · p(osuit)

CIL. V 7003 = Wilm. 1616 (Taurinis rep.)

Infra hoc remedium scriptum, quod iam supra p. 472 sq. afferendum erat: Ἄλλο· Βατράχου ζῶντος γλῶσσαν κόψον καὶ αὐτὸν ἀπόλυσον καὶ ἐν αὐτῇ τῇ γλώσσῃ γράψον *τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς* καὶ κοιμωμένης αὐτῆς ἐπίθες τὴν γλῶσσαν τῷ στήθει αὐτῆς καὶ οὕτως ἐρώτα αὐτὴν, καὶ αὐτὴ εἰ διεφθάρη, ἐξείποι σοι τοῦ μοιχοῦ τὸ ὄνομα.

217. Fragmentum medicum graecum e codice Lipsiensi no. 175 editum a Bursiano in ind. lect. aest. Ienae 1873 praebet XIV. περὶ τοῦ λῦσαι ἀνδρόγυνον. Εἰς κρίθινον κουλοῦριν γράψον· *κρισον δὲ καλὰ. βαρὴν ζαρὴν ζαρταρὴν σαρὰ σαρασήν.*

Primam incantamenti vocem Bursianus emendare vult κρύψον aut κλεῖσον, et Crusius proposuit κρῖνον (Philol. IL 1890 p. 543).

218. Anecdot. latin. ed. Piechotta § 77. Qui vecturam faciunt. nunc incantata quid possit haec herba; inponam in remediis; cum herbam volueris legere, circumscrib(i)to eam auro herbam et argento et dicito sacra nomina tria 'Iacob Sabaoth raxas'.

(Becturam, auro erbu, cod.; sub 'raxas' latet Abraxas.)

219. ib. § 172. Ad devoratum. digitis duobus pollice(m) et medicinali gurgulionem deducens dicis *πορκα* (!) cucnaon, ter dices et ter exspues.

220. ib. § 180. Ad profluvium sanguinis vel haemorrhoidas legas et suspendas itacoeu *κατα*, tum haec nomina hebraica dices 'manna', latinis 'mia blanam manna cyrfy calcod zama decarsin'.

221. ib. § 189. Ad fugitivos.[1]) In charta scribit dominus manu sua sive domina manu sua sinistra nomen fugitivi et de manu dextra scribat haec nomina 'pallachata *παλλακατα* caπpa' et ea(n)dem charta(m) mittes in mola(m) frumentaria(m) et ibi teratur. Aliud; post ostium scribis: 'irrifa epona nupsit illegy.'

222. ib. § 198. Ad orfum equi. scribis in dextra ungue pedis prioris ipsius de sinistra manu (in ungue) nomen cuiuslibet 'yppocalis. sylego. medicalis medis interim'.

223. ib. § 199. Ad capitis dolorem. Adonel angeli nomen scribis in charta pura et de licio ligabis in capite ... item alii.

224. ib. § 200. Botamal huius angeli nomen in charta virgine scribes et de licio capite ligabis, emigranii dolorem pausat.

225. ib. § 201. Ad oculorum dolorem tomatoma scribes in charta pura, hoc (cod. huc) nomen scribis et nomen ipsius qui dolet oculos, et de licio ligabis in capite et mox sanabitur.

226. Pitra e codice Cavensi f. 183, saec. XI qui Damigerontis librum continet, publicavit in Analectis sacris II p. 641 sq. (cf. Codex diplom. Cavensis VII. app. p. 1): Libellus regis Aegyptiorum missus ad Octavianum Augustum. Rex Aegyptiorum Octaviano Augusto salutem ..... Bestiolam quadrupedem quam [inter] vos quidam etiam Melen vocant, direximus. Et ideo ne quis maleficus te tuosque nocere possit, neque defectionibus, quod exercitui meo in armis contigit. Quam prehendis, etiam eius unum abstrahis dentem quem magnum habuerit, et cum extraxeris has preces dices: 'Butabar. borthon. ydra. ceramaliis. miton. borboron. ardiso. thaasan. lorden.'[2]) Haec novem dices verba et hunc dentem melis pertundes

---

1) Ad defixionem precationibus Vestalium perfectam servorum fugitivorum cf. Plin. XXVIII 13 et 19.

2) Totus locus etiam traditus est in codice Laurentiano, qui precationes herbarum continet 73, 16 p. 148 (cf. Bandini catal. III p. 40), sed lectio varia est: 'Butabar. torthon. hydran. cermalis. meton. borboro. nardison. thasaniorden' et in cod. Vindob. 93, fol. 127^{v}; cf. Endlicher cat. cod. Vindob. I p. 156; cf. similis locus, quem Oswaldus Zingerle edidit in 'Zeitschrift für Volkskunde' I (1891) p. 139 e codice Wolfsthurnensi XV saec. fol. 125^{a} 'Wer behaft ist mit dem posen veint, so spreche ym ain priester dise wort in daz ore, so meldet er sich, wes man in fragt: Amara Tonta Tyra post hos firabis ficaliri Elypolis starras poly polyque lique linarras

et ex auro in brachio ligabis tibi et tuis adhaerentibus, sic ut corpus tangat. Et neque sidus neque caniculae tempus nocebit neque pestilentia neque occursus malus nocere poterit. aut si quid fuerit, statim dentem rumpis (in) partem eius dextram, iisdem verbis dices. Et quemcumque aegrum unxeris, statim febrem detrahit, dumtaxat in eo qui vitalis est. Nam prolongat tempus, si maior morbus vel causa fuerit, celerius recedit. — Cervellum eius, eadem verba dicens decoques in oleo ferventi .... Qui comitiali morbo (cod. verbo) vexatur ... et quod inveteratum fuerit ... cum fervetur, has preces dices:

'Horner. larci, habech ....
Cisius. elaoro hodier laciaon
Virtus coeli libera pellet ....'

227. Idem Pitra primum edidit Harpocrationis libellum de herbis ... e Palatino cod. 224 in Analectis sacris V p. 293.

Λέγεται δὲ οὕτως ἐντεῦθεν ὁ ἱερὸς λόγος, καθάπερ εἶχε καὶ ἡ Κοιραννίς[1])· *Μάκαρ θεῶν ἄνασσα, βοτρυοφόρε μήτηρ, ἅπασι βεβαία εὐεργεῖς ἐν βροτοῖς ἡ πρώτη ἐνα ἠεκ εὐοη, νοῶν, φρενῶν τήρησον εὐωχίαν, ἠὐ ἐνη ἰεος ὀλύμπου οὖσα.* Ταῦτα εἶπον εἰς τὸ κέραμον, ὃ πίνουσι πάντες.
(cod. μάκαρα ἐκ, εἴπην, εἰπὼν ποίησον proposuit Jahnke meus; οἳ πίνουσι.)

228. ib. Ἡ δὲ τοῦ Κοιράννου περὶ εὐφρασίας στήλη εἶχεν οὕτως. *Θειοτάτη βοτάνη βοτρυήφορε, ἄμπελος λευκή, μήτηρ τῶν βοτανῶν, εὔδιε κυμβαλήφορε, γῆς ἐν φυτοῖς ἡ πρώτη, ἐνι εὐγρίνων φρενῶν μου, τήρησόν μου νοὸς φρένας, εὔθυμος οὖσα εἰς θειοτάτην ὑγιείαν· ἠωω ἀεκ ιαω ἑαωε.* Ταῦτα εἰπὼν ποίησον κατὰ τὰ προειρημένα ...
(Pitra proposuit εὐκρινῶν.)

229. ib. p. 298. Εἰς δὲ τὸν βατραχίτην γλύψον ἱέρακα καὶ παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ βάτραχον .... καὶ δὸς φορεῖν. ἔστησεν οὖν πᾶσαν αἱμορραγίαν. Καὶ ὑπὸ τὸν λίθον γράψον ταῦτα· *μαλλενεκαά*, ἐν ἄλλῳ *μαλλαλά*. Εἰς τὸν ἱερακίτην λίθον γλύψον ἱέρακα καὶ ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ βάτραχον καὶ ὑπὸ τοῦ λίθου γράψας ταῦτα *μαλαία* καὶ εἰς μαγνήτην τὴν αὐτὴν γλυφήν καὶ ὑπὸ τοῦ λίθου *μαλινά* καὶ φόρει.

Nonnulla verba occulta attulit Hagen in catalogo codicum Bernensium, quae fortasse medio demum aevo orta sunt.

---

buccabor vel barton vel Titram celi massis Metumbor o priczoni Iordan Ciriacus Valentinus'.

1) i. e. liber mysticus, de quo scripsit Meyer in 'Geschichte der Botanik' II p. 348 sq. 'Kyrani Kyranides'; cf. Haupt Philolog. L (1889) p. 371 sq.

230. cod. Bern. 250, 6, saec. X, fol. 21[b] (= Hagen catal. p. 286) exstant aliquot praecepta medica; extremo loco habetur haec formula mysticis verbis conscripta: Hur titer her hercinnar her amputor her creptor. her hersi herson. cumgraphium est genera stella babilonis almi almon. nomen ill. genebet dalbam †.

231. cod. Bern. 334, 19, saec. X—XII (Hagen catal. p. 332; cf. Hageni Scholia Bernensia ad Vergilii Bucolica et Georgica in Fleckeiseni annal. supplemento IV p. 692 sq.) fol. 352[a] scripta sunt nonnulla verba mystica post subscriptionem. Expl. epistola ad hebreos vers. DCCCC scripta a Roma. Croh. nheri. nihater nuflin nihater. subnil nihater rãuuenait. nihater arta. daf (claf?). hagal. artat. netri. artat. netri. artat. netri (sic ter ut iuris iurandi fascinandive formulam esse suspiceris). pomabo suptunamor ifiamor lofiens fonui. pater vulnus commendo arcus. fargus seclens (sedens?) corna. nedens. lux detofinet (d. suprascriptum) si na bit.'

Sanguinis cohibendi formulam subesse verisimile fit illis 'pater vulnus commendo' additis.

232. cod. Bern. 538. saec. XI—XII (Hagen catal. p. 449 et eiusdem auctoris 'Scholia Bernensia' etc. l. i. p. 692 not. 5) fol. 36[b]: Formula mystica. arfula astarum flibar. interinas ostigatir mica pinaeles eeleleon cerboneus. eripen. venit ille qui solet adducere alios dueluos (sic) ab oriente vel ab occidente a meridie vel ab septentrione etc. (quae quidem ultima verba haud videntur ad priora pertinere).

233. Huc etiam spectat Nicolaus Myrepsus XXI 1 (= Fabricii bibl. Graeca XIII p. 6): Lunaticos emendat, datum cum spuma tauri fabae Aegyptiae magnitudine. Ab ortu lunae usque ad eius defectum daemonio vexatos liberat datum ex mulsa cum vino simul pondere drachm. IIII. dicat autem *τρὶς ἅγιον*, id est ter sanctum, is qui bibit, lunaque deficiente detur; sic enim demonstratum est. Suffitum prodest ad omnia muliebria mala. Potum idem efficit; suffitur autem maxime et bibitur ad recursus uteri et erroneas inclinationes uterique insaniam. Conficitur etiam ex eo pessum (pessus Fabr.) cum melle et vino et nardo vera, laevigatum ad summum. Qui conficit hoc thymiama, proferat has vocales *α ε η ι ο υ ω*.[1]) Ignoretur autem is qui conficit

---

1) De usu septem vocalium multa scripserunt I. M. Gesner de dei laude per septem vocales in comment. soc. reg. scient. Gottingen. I 1751. Kopp l. i. III § 254 sq., cf. CIG. II 2895 e theatro Milesiaco et Boeckh a. h. l.; cf. W. Baudissin 'Studien zur semit. Religionsgeschichte' I p. 198 et 243 sq., Dieterich 'Abraxas' p. 22 adn. 6, Ruelle 'Le chant de sept voyelles grecques d'après Demetrius et les papyrus de Leyde' in 'Revue des études grecques' tom. II (1889) p. 38 sq. et p. 393 sq.

una cum iis qui serviunt. Conficitur autem Martio mense sole existente in primo arietis gradu et omnia quae dicta sunt, succedent. Si vero quis ipsum gestet in collo aut suspendat, neque morbum neque incantationem ullam timebit. In quocumque autem loco aut domo decumbet, nihil in hanc incantatio aut venenum poterit.

Sed maximus numerus ἐφεσίων γραμμάτων exstat in gemmis amuletisque, quorum sat multa collegit Wessely l. i.; copia eorum in dies augetur (cf. Zuretti in ephemeride italica 'Rivista di filologia' XX [1891] fasc. 1—3). Itaque pauca afferre liceat, quae apud Wesselyum non sunt:

234. In Eph. epigr. VIII no. 238 invenimus laminam auream cum hac inscriptione: Ad oc[u]loru[m] dolo|rem aut angeli (i. e. angorem aut anginam) | ligavi patri et | matri *meo* (?) togi | nama marem | nam fallum | tolof (g? s?) famon | exaton ma|le margan |. cf. Fiorelli 'Notizie degli scavi' 1887. p. 157.

235. Espérandieu 'Épigraphie de Poitou' p. 335 sq. edidit inscriptionem laminae, quam celticae originis esse[1]) putat:

BIS GONTAVRION ANALABIS BIS GONTAVRION
CE ANALABIS BIS GONTAVRIOS CATALASES
VIM CANIMA VIMS PATERNAM ASTA
MAD (aut ST) ARSSET VT A TE IVSTINA QVEM
PEPERIT SARRA.

Quid verba in initio significent, nescio, sed finem inscriptionis esse verba latina, quorum sensus perspicuus non est, luce est clarius, ad verba 'Iustina, quem peperit Sarra' cf. supra p. 474 adnot. 1.

236. Altera est inscriptio clavi ahenei, de qua multa viri docti egerunt, Henzen 'ann. di corr. archeol.' Romae 1846. XVIII p. 214 et tab. H, Lersch 'bull. dell. inst.' 1845 p. 184, Welcker ib. 1846 p. 98, Iahn 'Böser Blick' p. 107 sq., Hofmann 'Sitzungsberichte der Bayer. Akademie' 1870. I p. 522 sq. Iahnii lectionem insero: Domna Artemix Kr ne aureas solve catenas tuas! en canes tuos agrestes silvaticos sive albos sive quemque colores aperta buca. cave ne appetant rura. RE⚡ ANBΛϤVIBENIT BA⚡ VIı REA≴ ANDKORAST RASΛ. in cortem nostram non intrent, pecora nostra non tangant, et asinos nostros non molestent! ter dico, ter incanto in signo dei et signo Solomonis et signo domna Artemix.

237. Alius clavus[2]) magicus praebet has litteras (cf. Friederich-

1) Alia celtica, fortasse magica inscriptio invenitur in CIL. XII 5367.
2) Usus clavorum in arte magica valde florebat, cf. Preller 'Röm.

Wolters 'Berlins antike Kunstwerke' II p. 291): ΦΡυΘΕΥΙ ΟΟΩϹΩα | FFHΣ ~~888~~ ƵHEꞆƎΠ (a dextro ad sinistrum) ΑΝΩΧΒΙΒΙΘΥΠΕΘΩΝ | ϹΚΕΠΤΙ ΕΙΤΙ ΡΗ⸗ | ΤΟΥ ϹΟΛΩΜΟΝΕ.

Alia amuleta cum verbis obscuris inveniuntur apud Kaibel IGSI. 2413, 15, 16, 17.

238. Froehner: 'Kritische Analekten' in Philol. suppl. V p. 42 sq. amuletum edidit sic inscriptum *ὑστέρα (μ)ελάνη μ(ελ)ανομένη, ὡς ὄφις εἰλύεσαι καὶ ὡς λέων βρυχᾶσαι καὶ ὡς ἀρνίον κοιμοῦ.*

239. E. de Muralt: 'Chronographie byzantine 1855. Additions' p. 749 edidit tabulam auream in vico Tschernigoff inventam in qua insculptum est Medusae caput cum decem serpentibus et haec inscriptio: '*Ὑστέρα μέλανι μελαινομένη μέλανι ὡς ὄφις εἰλύησε καὶ ὡς δράκων συρίζησε καὶ ὡς λέων βρύχησε καὶ ὡς ἀρνίον κύμηνε.* — In parte antica haec verba exstant: *Θεότοκε, βοήθει τόν σε ἔχοντα, ἀμήν*; cf. Schlumberger in 'Revue des études grecques' V p. 73.

240. Similis illi est tabula ahenea, quae in oppido Maestricht inventa a Froehnero ibidem p. 45 edita adiurationem contra grandinem[1]) continet: *θως ου δερκνω· αλωη νουμιξων θει ληος· τρέψον ἐκ τούτου τοῦ χωρίου πᾶσαν χάλαζαν καὶ πᾶσαν νιφάλαν καὶ ὅσα βλάπτει χώραν. Κέλευε θεὸς ωα μουθα καὶ σὺ συνέργει Αβρασαξ ιαη Ιαω.*

Denique sequantur incantamenta pauca, quorum verba quidem intelleguntur, sed non cognoscitur, quomodo cohaereant carmen et morbus.

241. Hipp. p. 37, c. 202. Ἄλλο (sc. πρὸϲ θλάϲμα ἐν ποδί) γράψον ὑπὸ τὴν ϲτεφάνην τοῦ ζῴου μετὰ μαχαιρίου *ἰλὼψ, ἰχθὺς, νῆσος.*

Pro ἰλώψ, quod intellegi non potest, Miller l. c. proposuit ἔλοψ vel ἔλλοψ, qui est piscis celeber in maribus Pamphyliae.

242. Cassius Felix ed. Rose p. 168, c. 69. Ad scorpionis ictum. scribis in charta rudi hoc nomen Α〈ϹΠ〉ΙϹ et postquam scripseris, plicabis.

XIV. Numeri in incantamentis adhibiti.

Nonnulla dicenda sunt de ratione mystica, quae floret apud magos in usu numerorum. Iam Pythagoreos philosophos numeris summam vim tribuisse inter omnes constat; quam superstitiosam opinionem postea Gnostici valde coluerunt; cf. Ps.-Tertull. adv. omnes haer. XV. *non defuerunt post hos Marcus quidam et Colarbasus novam*

Myth.' I p. 260, II p. 425, 2, Otto Iahn 'Böser Blick' p. 107—109, Marquardt-Wissowa 'Röm. Altertüm.' VI² p. 106 sq., R. Suchier 'Die Nägel in Römergräbern' Philol. XXXIII p. 335 sq., R. Unger 'Der römische Jahresnagel' Philol. XXXII p. 531 sq. etc.

1) Cf. Plin. XVII 267, XXVIII 29, Sen. nat. quaest. IV 6, Clem. Alex. Strom. VI 3, 31 p. 268 Sylb., Paus. II 34, 4.

haeresin ex Graecorum alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse inveniri, immo totam plenitudinem et perfectionem veritatis in istis litteris esse dispositam. Propter hanc enim causam Christum dixisse 'Ego sum A et Ω'. Denique Iesum Christum descendisse, id est columbam in Iesum venisse, quae graeco nomine cum περιστερά pronuntietur habere secum numerum DCCCI. Percurrunt isti ΩΨΧΦΥΤ totum usque ad ΒΑ[1]) *et computant ogdoadas et decadas. Ita afferre illorum omnes vanitates et ineptum sit et otiosum.* Hic lusus mysticus pendet ex illa numerorum ratione, qua ωα et περιστερα (= 801) aeque ac pariter valent.

In similibus commentis ridiculis consistunt nomina magica αβραcαξ[2]) = 365; αμην = 99[3]), ἡ ἁγία τριάc Θ (= Θεόc) = 643.[4]) In bibliis idque apud Ioannem (apoc. XIII 18) videmus eundem mysticum sensum: ὧδε ἡ cοφία ἐcτίν. ὁ ἔχων τὸν νοῦν ψηφιcάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου· ἀριθμὸc γὰρ ἀνθρώπου ἐcτίν. καὶ ὁ ἀριθμὸc αὐτοῦ χξϛ΄ (ἑξακόcιοι ἑξήκοντα ἕξ), cf. ib. XV 2 et Lucian. Alex. seu pseudom. XI. Sed nusquam tam crebro mystici numeri occurrunt, quam in papyris magicis, veluti νθ΄ = 59. Pap. Anast. XLVI v. 362 ed. Wessely, μθ΄ = 49, ib. v. 153, τὸ ρ΄ γρ = γράφε (100), ib. v. 453 γρ΄ λζ΄ = 37, Pap. Par. 1988. γρ΄ κδ΄ = 24, ib. 1322. τὰ τξε΄ ὀνόματα = 365 (αβραcαξ) Pap. Lugd. V ed. Dieterich IV 32; cf. multa alia in Wesselyano indice p. 14.

Multa verba de hac superstitione numerorum facere possum, sed ne longus sim, remitto eos qui plura doceri volunt ad Kopp pal. crit. III § 225—275, Kehr quaest. mag. p. 15 adn. 1 sq., Usener 'Religionsgeschichtl. Untersuchungen' p. 24, Diels 'Sibyllin. Blätter' p. 41 sq., cf. etiam Buresch 'Klaros' p. 122 sq., Kaegi in 'Philologische Abhandlungen, H. Schweizer-Sidler dargebracht', p. 50 sq.

Hic eos tantum numeros qui ad sanandos morbos adhibebantur, breviter afferam:

243. Plin. XXVIII 24. Attalus affirmat, scorpione visa si quis dicat 'duo' cohiberi nec vibrare ictus. et quoniam scorpio admonuit, in Africa nemo destinat aliquid nisi praefatus Africam, in ceteris vero gentibus deos ante obtestatus ut velint.

244. Hipp. p. 148, c. 1214. Πρὸc cτρόφον λέγε εἰc τὸ οὖc *γ΄ η̈ ζ΄*.

245. Alex. Trall. II p. 319. Φυcικὰ πρὸc τοὺc λύζονταc. Κρῆταc κρατεῖν ψῆφον ταῖc χερcὶν *γρϙγ΄* (= 3193) καὶ προcφέρειν τοῖc μυκτῆρcι.

1) Huc certe spectant permulta alphabetaria, quae fascinandi causa et in sepulcris et alibi inveniuntur; cf. Dieterich 'Abraxas' p. 165 adn. 2 et Kaibel IGSI. 2420, 2, Berthelot 'Alchimistes grecs. Introduction' p. 156.

2) Cf. Dieterich 'Abraxas' p. 46 sq.

3) Cf. Wessely 'Die Zahl neunundneunzig' in 'Mittheil. aus der Sammlung der Papyrus Erzherzog Rainer' I p. 113 sq.

4) Cf. Krall in 'Mittheil. aus Pap. Erzherzog Rainer' I p. 127.

De forma incantamentorum metrica.

Restat, ut incantamenta num legibus metricis aut rhythmicis composita sint quaeram. 'Carmen' vocabulum, ut saepe incantatio appellatur, sermonem numeris adstrictum significare videtur. Sed de hac re olim iam magna orta est dissensio inter viros doctos. Fridericus Ritschl[1]) enim negavit formulam quamlibet conceptis verbis compositam carmen dictum esse, sed orationem numeris vinctam. Illi repugnavit Duentzer, qui carmina etiam parva enuntiata pedestris orationis fuisse dicit.[2]) Sed uterque modum transire videtur et rectum in medio est. Tamen hoc Duentzero concedendum est, carmen a Romanis non solum sermonem metrica lege conceptum, sed etiam formulam prorsam sollemnibus verbis compositam appellatum esse. 'Carmen' vocabulo posterioribus temporibus, praesertim Marcellus saepissime ad incantamentum significandum utitur, ubi difficillimum est, metrici aliquid cognoscere, cf. VIII 172 m. a. atque etiam ἐφέσια γράμματα carmina vocantur, velut X 34, ib. 55, XII 24 etc. Atque ita a voce 'carmen' derivatum est 'carminari', quod nihil significat nisi praecantare; cf. Marc. VIII 171, XIV 26, XV 102, XXVIII 74.

In hac parte popularis, ut ita dicam, artis poeticae metrum et rhythmum interdum observari posse nemo negabit. Sane Iacobi Grimm verbis assentieris ('Deutsche Mythologie' II[4] p. 102): *Noch stärkere Macht, als im Kraut und Stein, liegt in dem Wort und bei allen Völkern gehen aus ihm Fluch oder Segen hervor. Es sind aber gebundene, feierlich gefasste Worte (verba concepta), wenn sie wirken sollen, erforderlich, darum hängt alle Kraft der Rede, deren sich Priester, Arzt, Zauberer bedienen, mit den Formen der Poesie zusammen;* cf. etiam Wuttke l. c. § 224: *Darin* (sc. in den Zauberformeln) *liegt eine ächte und ursprüngliche Volkspoesie, ein Parallelismus der Gedanken. Was der Reim im äussern Klange ausdrücken will, das drückt sich hier in kernhafter Wirklichkeit aus: die innere Gleichstellung und Verbindung des äusserlich Unterschiedenen.* — Tamen difficillimum est, certis et artificiosis legibus compositas formulas inveniri. Maxime amat populus carmina aequalibus membris praedita, quae praeterea adnominatione vel assonantia vincta sunt; velut Pelagonii carmen ad equos hordiatos (c. XIX).

si tortionatus, si hordiatus,
si lassatus, si calcatus,
si vermigeratus, si vulneratus,
si marmoratus, si roboratus. (cod.: lassus.)

---

1) In Mus. Rhen. IX p. 7 = Opusc. IV p. 220 et in Poesis saturniae spicil. I p. 4 = Opusc. IV p. 298 sq., Duentzer 'Das Wort carmen als Spruch, Formel, Lehre', 'Zeitschrift f. d. Gymn.-Wesen' XI p. 1 sq.

2) De hac controversia, cuius postea alii, Ribbeck, Corssen participes erant, cf. R. Peter de Romanorum precationum carminibus in Comm. philol. in honorem Aug. Reifferscheid p. 67 sq.

Eandem aequabilitatem et constantiam assonantem membrorum videmus in Marcello XV 11[1]):

si hodie nata, si ante nata,
si hodie creata, si ante creata,
hanc pestem, hanc pestilentiam,
hunc dolorem, hunc tumorem, hunc ruborem,
has toles, has tosillas,
hanc strumam, hanc strumellam,
hanc religionem,
evoco educo excanto,
de istis membris, medullis.

et Marc. XV 101.

albula glandula,
nec doleas, nec noceas,
nec paniculas facias,
sed liquescas tamquam salis in aqua.

'albula' propter assonantiam ex 'alba' vocabulo corruptum esse videtur; cf. infra p. 557 incantamentum e cod. St. Galli 951 sumptum:

ne doleat, ne noceat, sed redeat.

'Ομοιοτέλευτα in his carminibus rara non sunt: Marc. XXI 3 et XXVIII 16.

pastores te invenerunt,
sine manibus collegerunt,
sine foco coxerunt,
sine dentibus comederunt;

hic, ut saepe in his rebus ἀσύνδετα animadverti possunt, cf. Marc. XX 78:

lupus ibat per viam, per semitam,
cruda vorabat, liquida bibebat.

ib. VIII 199.

ne lacrimus exeat,
ne extillet, ne noceat;

cf. infra p. 559 in cod. St. Galli 951.

tres sorores ambulabant,
una volvebat,
alia cernebat,
tertia solvebat.

Sed rimi non desunt; apud Vergilium ecl. VIII 79, ubi Voss iam recte sensit, allitterationem studio quaesitam esse, cum pertineat ad consuetudinem in arte magica observatam, legitur:

limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit;

simillimus est Marcelli locus (VIII 191):

nec huic morbo caput crescat aut si creverit tabescat,

1) De rhythmo huius aliarumque cantionum vide Buechelerum mus. Rhen. XXXIV p. 343 sq., Zander Versus ital. ant. p. 46 sq.

quae verba quaternarium efficiunt, ut Buecheler[1]) recte dicit; cf. infra p. 551 'ut amplius non crescas, sed arescas' et 'ut non crescas, sed evanescas'.

Varro de r. r. I 2, 27.

terra pestem teneto,
salus hic maneto.

Porro allitterationis usum deprehendis in altero Varronis (l. l. VI 21); atque plerumque haec incantamenta pervetusta oratione rhythmica quaternis ictibus composita sunt.

novum vetus vinum bibo,
novo veteri morbo medeor.

Marc. XXXVI 70.

venenum veneno vincitur,
saliva ieiuna vinci non potest.

Marc. XXV 13.

terram teneO, herbam legO,
prosit (in nomine Christi) ad quod te colligO.

supra p. 498.

stulta femina super fontem sedebat,
stultum infantem in sinu tenebat,
siccant montes, siccant valles,
siccant venae, vel cui de sanguine sunt plenae.

Marc. XXI 3.

tres virgines in medio mari mensam
marmoream positam habebant,
duae torquebant, una retorquebat.
Quomodo hoc numquam factumst
sic numquam Gaia Seia
sciat corci dolorem.

cf. XXVIII 74.

tres virgines circumibant,
duae alligabant,
una revolvebat.

XXXVI 19.

summum caelum,
ima terra,
medium medicamentum.

Numeri non obscuri opem ferunt incantamentum Marcelli (XXI 2, cf. supra p. 482) restituenti:

Ante cave corcu
nec mergito cantorem,
ut hos, ut hos, ut hos.
praeparabo tibi vinum:
leva libidinem,
discede a nonnita.
in nomine dei Iacob,
in nomine dei Sabaoth.

1) In mus. Rhen. XXXIV p. 343 sq., ubi multa eiusmodi congessit.

In omnibus his incantamentis memoratu dignum est quod semper, praeterquam quod consulto membra enuntiatorum eundem exitum, quasi rimum habent, ἀcυνδέτωc coniuncta sunt.

Atque etiam in 'Ephesiis litteris' interdum videmus verborum formas, quae certe propter assonantiam fictae aut usu ita detritae sunt; cf. supra p. 528 et Dieterich prol. ad pap. mag. p. 769; non pauca exempla huius modi exstant apud Marcellum: VIII 192 κυρια κυρια καccαρια, ib. 193 'vigaria gasaria', quod antecedenti καccαρια simile est; XII 24 'argidam margidam sturgidam'; XIV 24 'crisi crasi concrasi'; XXVIII 72 'adam bedam alam betur alam botum'; ib. 73 'alabanda alabandi alambo'; cf. XV 101 'albula glandula'; Cato c. 160 'daries dardaries astataries' et ib. 'ista pista sista'. Hanc assonantiam appellavit Bergk in 'Kleine Schriften' I p. 556 'Flexionsreim', cui Woelfflin in 'Archiv f. lat. Lexicographie' I p. 355 non consentit.

Multa alia exstant exempla carminum, quae congruentiam membrorum aequalitatemque prae se ferunt, quamquam numeri rhythmici corrupti sunt. Marc. VIII 199.

Quomodo tu non vides,
sic et tuus sucus gustatus nulli noceat;
sed ob rem, propter quam adiecta es,
proficias bene curatione, precor.

ib. XII 46. Hirundo tibi dico:
quomodo hoc in rostro iterum non erit,
sic mihi dentes non doleant toto anno.

Cf. carmen cod. Vindob. 93, supra p. 488 n. 91.

Herbula Proserpinacia,
Orci regis filia,
quomodo clausisti mulae partum,
sic claudas undam sanguinis.

Atque Marc. XXIX 35 Zander l. l. p. CCXIII adn. sic metitur:

fuge fúge lepúscule ét tecum | aufér colí dolórem.

Sed pergamus; nonnullos etiam versus numeris adstrictos incantamenta praebent. Saturnium, cuius natura adhuc semper obscura est, iam pridem cognoverunt viri docti esse Varronis verba (r. r. I 2, 27)

térra péstem tenéto ‖ sálus híc manéto

et verba 'in meis pedibus' glossema reiecerunt; Baehrens (fragm. poet. rom. p. 34 adn.) putat verba antecedentia sic in versum saturnium redigenda esse:

egó tuí meminí ‖ medére ⟨tú⟩ meis pédibus.

Cf. Ribbeck in Ann. philol. LXXVII 205 sq., L. Müller de versu saturnio p. 119, Korsch de versu saturnio, Mosquae 1869.

Sed etiam versus heroici non desunt in hac ima arte poetica; ne repetam Homeri et Vergili versus, quos supra p. 514 sq. attuli, Plin. XXVII 100 hexametrum praebet:

φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ἄγριος ὔμμε διώκει.

Cuius versus finis commonefacit nos aliorum frustulorum versus hexametri similium, quae supra p. 480 sq. exstant: κρείττων cε διώκει, et Περcεύc cε διώκει, θεῖόν cε διώκει; dactyli sunt Aet. Amid. (II 19) verba (cf. supra p. 506)

χαῖρε θάλαcc' Ἀράβων.

Riess l. c. p. 380 proposuit versus lyricos hos:

χαῖρε θάλαcc' Ἀράβων φέρουcα πημάτων ἄκοc,
εὕρημα τηκόλιθον.

Sed integer est hexameter mea quidem sententia in Hippiatr. p. 100, c. 692, cf. supra p. 499 ubi traditum est: δέcποτα ἥλιε θερμὲ καὶ ψυχρὲ τοcοῦτον με ἀπηλλοτρίωcαc; sed καὶ ψυχρὲ cum sensu careat, eiciendum et ita restituendus est versus:

ἥλιε δέcποτα θερμέ, τοcοῦτό μ' ἀπηλλοτρίωcαc;

Atque Lucianus (Alex. c. 36) affert ἀλεξιφάρμακον ἑξάμετρον:

Φοῖβοc ἀκερcεκόμηc λοιμοῦ νεφέλην ἀπερύκει.

Cf. supra p. 483, Pseudo-Plin. III 15.

Cras hostes mihi venturi sunt: suscipite illos!

Incantatio vitis, quae traditur apud Harpocrationem de herbis, vide supra p. 539, ex hexametris composita esse videtur:

Θειοτάτη βοτάνη, βοτρυηφόροc ἄμπελοc λευκή,
μήτηρ τῶν βοτανῶν κτλ.

Pentametri magici inveniuntur interdum, ut Kaibel IGSI. 2413, 6 = Epigr. graec. 1139:

χαῖρε πατὴρ κόcμου, χαῖρε τρίμορφε θεόc.

In Hippiatr. p. 123, c. 980 (cf. supra p. 507) puto me pentametrum invenisse; sed carmen hoc est: οὐκ ἔλαθεc, λύκοc εἶ καὶ δάκῃ τὸν τόπον τοῦτον τρίτον καὶ καθάπαξ δακέτω; verba καὶ δάκῃ τὸν τόπον τοῦτον τρίτον postea interpolata esse videntur, atque sic

οὐκ ἔλαθεc, λύκοc εἶ καὶ καθάπαξ δακέτω.

fortasse incantatio restituenda est.

Nuper edidit Froehner in mus. Rhen. XLVII (1892) p. 307 hanc inscriptionem in amuleto, lapide haematite, insculptam:

Εἷc θεὸc λέγει.
Ὃc ἀγαθῇ ψυχῇ cκηνὴν θυμέληc ἐπάτηcε,
τούτῳ καὶ Νέμεcιc καὶ Χάριτεc cυνέπονται.
εἰ δέ τιc ὢν ἀμαθὴc ψυχὴν ἔcχε[ν] περίεργον,
τοῦτον ἀπηρνήcαντο θεοὶ καὶ Παφίηc cύνοδοc.
Τοίνυν ἑταῖρε τῶν τροπῶν γίνου φίλοc.

Versibus iambicis haec incantamenta composita sunt:

Laert. Diog. VI 50 ὁ τοῦ Διὸc παῖc Καλλίνικοc Ἡρακλῆc
ἐνθάδε κατοικεῖ· μηδὲν εἰcίτω κακόν.

Marc. XV 89 εἶδον τριμόρφου χρύςεον τὸ cάνδαλον,
καὶ ταρταρούχου χάλκεον τὸ cάνδαλον.
cῶcόν με cεμνὲ νερτέρων ὑπέρτατε.[1])

Marc. XXIX 23 θεὸc κελεύει μὴ κύειν κόλον πόνουc.

Latini quoque senarii iambici nobis occurrunt, quos primus Buecheler mus. Rhen. XXXIV p. 344 cognovit: Marc. XVIII 30

numquam égo te videam pér parietem répere

et 'carmen idioticum' apud Marc. XXXVI 70

fuge fúge podagra et ómnis nervorúm dolor
de pédibus meis et ómnibus membrís meis.

Atque in Marc. (VIII 191) carmine: 'nec mula parit nec lapis lanam fert, nec huic morbo caput crescat aut si creverit tabescat' mutatis verbis Buecheler l. c. hunc construxit senarium:

nec múla peperit néc lapis lanám tulit,

et quaternarius est trochaicus altera pars carminis:

néc huic morbo caput crescat aút si creverit tabescat.

Praeferenda est haec scansio Buecheleri, ut mihi videtur, illi carmini, quod restituit Zander l. l. p. 47:

néc parít múla,
néc lapís fert lánam,
nec húic morbó capŭt créscat,
si créverít tabéscat.

Recte tamen in Marc. XXV 13 incantatione verba, quae ad Christianam aetatem spectant, 'in nomine Christi' eiecisse videtur Zander. l. i.

térram téneo, herbám legó,
prósit ăd quód te cólligó.

Sed fortasse etiam 'ad' melius eicitur, cum ad sensum nihil praebeat et syllaba brevis rhythmum turbet.

Carmen artificiossimum iam Vogelmann enucleavit (Philol. XXV p. 695 'Ein Lied bei Plinius') e Plin. XXVII 131. (cf. Zander l. i. p. 42.)

reséda, mórbis reséda,
scísne scísne quís hic púllus | égerit radíces?
néc căpŭt néc pedés habeát.

---

1) De hymnis magicis, ex quibus hoc Marcelli carmen fluxit, quae saepe etiam ἐπῳδαὶ usurpabantur, nihil dico, cum hic eorum locus non sit; permulta huiusmodi iam e papyris magicis enucleata sunt: Wessely 'Griechische Zauberpapyri' in 'Denkschriften der Akademie' Vindobonae 1888, p. 30 sq., Parthey in editione sua papyrorum Berolinensium, Dilthey mus. Rhen. XXVII p. 375 sq., Herwerden Mnemos. XVI p. 316 sq., Dieterich prol. ad pap. mag. p. 776, cf. 'Abraxas' Index p. 215, Abel Orphica p. 54 sq., cf. Crusius in 'Wochenschrift f. class. Philol.' 1888 p. 1095 sq. Sed numerus hymnorum augeri potest, cf. Niceph. Gregor. Schol. ad Synes. p. 402, qui hymnus etiam apud Euseb. praep. ev. V 8 exstat, et Niceph. ib. p. 360 = Hippolyt. adv. haer. IV 32, ib. IV 35 etc.

De aliis rhythmicis incantamentis novi quid dicere non possum, cum Zander l. i. praef. p. CCV sq. et p. 23 sq. multa collegerit et tractarit, quamquam non semper probo Zanderi scansiones. Diversis numerorum generibus carmina concepta sunt neque saepe facile est, certum metrum a numerosa oratione discernere. Alia carmina, quae numeros reddunt, Marc. VIII 191 et XXV 13 iam supra attuli.

Denique trochaicum tetrametrum incantatum profert Alex. Trall. II p. 377, quem iam Meineke ita restituit:

φεῦγε φεῦγ' ἰοῦ χολή, ὁ κορυδαλ(λ)ός σε ζητεῖ.

Iambicum metrum redolet carmen in Hipp. p. 15, c. 17.

μύρμηξ ψοφεῖ· πέλωρος κεφαλὴν οὐκ ἔχει,

etsi elegantem versum haec verba non efficiunt.

Appendix.

Anecdota incantamenta nonnulla.

Useneri egregia erga me benevolentia ad notitiam codicis Bonnensis 218 (66a) perveni, qui nonnullas superstitiosas res, quae huc respiciunt, continet.

Qui codex membr. saec. XI, fol. 87, ex monasterio beatae Mariae virginis de lacu ('Maria Laach') ortus, nomine apto 'Rapiarius' ('Kladde') inscripto res maxime varias praebet, quas e descriptione Klettii (cf. catalog. p. 52) vix suspiceris. Primus eo usus est Hoffmann de Fallersleben et edidit ex eo glossas linguae germanicae priscae ('Altdeutsche Glossen' Breslau 1826 praef. § 57 et p. 20 sq.). Plurima medicinalia et superstitiosa, quae edo, a manu altera postea marginibus et ultimis paginis adscripta sunt.

fol. 40^r infra in margine exstat:

Ad difficultatem pariendi probatum. Elisabet peperit praecursorem, sancta Maria genuit salvatorem. sive masculus sis sive femina, veni foras, salvator revocat te. Omnes sancti dei intercedant pro ista femina. Quod scriptum supra genua tribus digitis ligas. Quod si hoc tam cito non proderit, tunc in alio membranulo scribas: 'Lazare, veni foras, salvator revocat te' et supra pectus feminae mitte.[1])

---

1) Haec incantatio ad partum eliciendum saepissime invenitur in codicibus medii aevi, cf. cod. Monac. germ. 54, fol. 106 edita a Schoenbachio in 'Zeitschr. f. deutsch. Alterth.' XXIV 70; cf. ib. p. 81 de cod. Bruxellensi, Birlinger in 'Germania' XXIV 74, Ieitteles ib. p. 311, 'Academy' no. 639 p. 78, no. 642 p. 122, Rockinger 'Quellen und Erörterungen zur bayer. und deutsch. Geschichte' VII p. 320 e cod. lat. Mon. no. 100, fol. 80, Zingerle 'Zeitschrift des Vereins f. Volkskunde' I (1890) p. 177.

fol. 41v. Contra malum malannum: Cum minimo digito circumdare locum debes ubi apparebit his verbis:

'Ich bimuniun dih, suam (cod. suaz) pi gode iouh pi Christe'
tunc fac crucem per medium et dic:

'daz tû niewedar ni gituo noh tolc noh tôt houpit.
Item adiuro te per patrem et filium et spiritum sanctum, ut amplius non crescas, sed arescas.'[1])

fol. 49v. O lĩpeo. ansa. amur. hus. theus. hus. Mon. Liberatius Geratius A ⁊ ω Riscas. Rubries. Riscas melones sis famulo dĩ pax et defensio ab om̃i incursione diaboli ñc ⁊ ĩ ppetuũ felicit. Contra sagittam diaboli. Allãniã sit pallãmiã sic callãmia insiti p corpore isto. Per ista tria nomina p patrem et filium ⁊ spm̃ scm̃. Adiuro te satanas et vos malignos sp̃s p patrẽ et filium et spiritum sanctum. Ut ñ habeatis potestatem nocere hunc famulum đi ñ dormiendo neque vigilando nec in membris nec in omnib; locis suis AGIOC III (b) vicib; s̃cs d̃s s̃cs fortis s̃cs ⁊ inmortalis miserere famulo đi. Alleluia AMEN.[2])

he het
he het
he het
VVAVGO

1) Hoc germanicum carmen primus Wackernagel edidit (in 'Wessobrunner Gebet' Berolini 1827 p. 67 sq.; cf. Müllenhoff-Scherer 'Denkmäler' p. 11 et p. 282), qui finem adiurationis 'ut amplius non crescas, sed arescas' cum Marc. VIII 191 'nec huic morbo caput crescat aut si creverit tabescat' comparavit; cf. simile carmen contra malum malannum, quod Wackernagel in 'Altdeutsche Predigten' p. 254 e codice Turicensi C. 58/215 publicavit: 'Ad frasin. Sputo circumlinito minimo digito et dic: Adiuro te, mala malanna, per patrem et filium et spiritum sanctum, ut non crescas, sed evanescas. in nomine patris et filii et spiritus sancti. K. X. K. (= Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison) Pater noster ter et pater noster'.

2) 'Contra sagittam diaboli' exstat idem fere carmen in codice Monacensi lat. no. 100, saec. XII, editum a Rockinger in 'Quellen und Erörterungen zur bayerischen und deutschen Geschichte' VII p. 319: Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Alamamiam. alamiam. palamiam. sit in sitim per omne corpus tuum. Per ista tria nomina patris et filii et spiritus sancti. Gardia. Gardiana. gardentia. Domine nescia suffonia. quia necesse est per istud malum malannum. quia dominus papa apostolicus ad imperatorem transmisit, ut omnis homo super se portaret. agios. agios. agios. sanctus. sanctus. sanctus. alleluia. alleluia. alleluia. crux Christi. crux Christi. crux Christi. ó. ó. ó. domine, qui fecisti primum hominem Adam. ó. ó. ó. domine si hic assit nata una cyppa. ó. ó. ó. domine tu illam sicca. N. Del indena. dulta mila velena. Sanctus Christophorus. Sanctus Abraham. Si dum sinaclium inclina. clina. clina. sancta Saturnina. agyos. agyos. agyos. sanctus. sanctus. sanctus. dominus deus omnipotens. qui erat. et qui est. et qui venturus est. Adiuro te venenum per patrem et filium et spiritum sanctum, ut non noceas famulo dei N., sed ab illo recedas. — Idem exstat in codice

fol. 71[v]. Ad stekethon coniuratio. uxa. axa. pompa. terra. non hac nigra. non puputare. Pater noster ter dices. Ad pustellam quae stechetho vocatur. Periuro te pustella per caelum et terram et panem et salem et per aquam de mare et per sacrificium de altare ut non habeas potestatem, super hunc famulum dei N̄. stare sine voluntate dei. Pater noster qui es in caelis libera eum a pustella hac. Et tunc cantet 'pater noster' per totum et tribus vicibus sic coniuret aut in breve scribat et super se portet.

fol. 81[v]. Dicta Aristotelis, *quae flebotomorum incisiones in singulis mensibus describunt.*

fol. 82[r]. De epistula Hippocratis (cod. Ypocratis) de signis mortalibus aegrotorum.

fol. 82[v]. Ad dysiaticum. In nomine domini accipe plumbum et fac inde crucem parvulam et scribe in ea ante totam 'Ecce crucem dei'; in fine 'Pax tibi att'. et liga super infirmum in collo eius. Et sint custodes, qui custodiant eum, ut non dormiat ullo modo tribus noctibus et tribus meridiebus, quia si hoc fecerit, potest fieri, ut inimicus dei crucem illi auferat. In alia hora dormiat. Et fac benedictam aquam et sparge super infirmum et in domum et de ipsa aqua bibat tres noctes et tres meridies et sic deo adiuvante recuperabitur infirmus ......

fol. 83[r]. *Inter alia invenitur hoc:* Ad febres. Morionis manum unam collige cum oratione dominica, tere cum aqua frigida, bibe, probatum est.

fol. 83[r]. Humanum genus ignorat quantam vim virtutis vultur[1]) in se habeat quantamque hominibus medelam praestet. Ea hora quando eum aliquis comprehendit, habeat pro gladio cannam acutam, qua eum occidat solusque sit qui eum occiderit et antequam eum decollet, dicat ei: 'Angelus adone[2]) Abraham, propter vos sermo impletur.' Et dum eum aperueris, melius facies, si iterum verba praedicta dixeris. Linguam eius si in dextrum subgularem miseris et cum eo ambulaveris, adorabunt te omnes inimici tui. Cor eius si in leonis aut lupi pelle ligaveris, omnes a te daemones effu-

---

Vindob. theol. 259 (cf. Grimm D. M. II⁴ 1032). 'Contra sagittam diaboli. palamiasit. palamiasit. calamia insiti per omne corpus meum. per ista tria nomina per patrem et filium et spiritum sanctum. aius aius aius sanctus sanctus sanctus. in dei nomine cardia cardiani de necessu (? recessu Grimm) propter illum malannum quod domnus papa ad imperatorem transmisit, quod omnis homo super se portare debet. Amen. tribus vicibus.' cf. cod. Mon. lat. 6342 fol. 168[v]; cf. Rockinger l. c. p. 318 n. 23 et 'Anzeiger des germ. Museums' 1871, p. 303 et 'Zeitschrift f. d. Altertum' XXI 210.

1) Vulturis hae virtutes compilatae sunt e Plinio XXIX 77, 112, XXX 110, 130 etc.

2) Cf. incantamentum in Anecdoto latino Piechottae cap. 199, supra p. 538 n. 223, sub 'adone' latet 'Αδωναΐ quod saepissime in papyris magicis invenitur, cf. p. 523 n. 167.

gabis. Et si in latrones incideris, ipsi te ut deum adorabunt. Pennae eius in multis proveniunt, maxime ad mulierem, quae se partu liberare non poterit; nam si earum aliquam mulieri in sinistro pede ligaveris, velocissime liberabitur. Cumque liberata fuerit, ipsam pennam celerius solve, ne intranea (sc. viscera) sequantur. Quodsi domum illorum, qui taediantur, suffumigaveris, omnia mala fugient ab ea. Pedes eius et ungulae in domo tua coeant, ibi maleficia nulla iactari permittent. Quodsi piis facta fuerint, virtutem non habebunt. Adipem eius si fricas cum oleo hyrino (?, myrrhino *coni. Iahnke*) et cera, nesciam et nervos sanat. Et si quodlibet iumentum inde unxeris, quod vendere velis, ea die ipsum pecium (v. Ducange) habebis. Pedes eius, cui pedes dolent, dextrum ad sinistrum et sinistrum ad dextrum si ligaveris, continuo sanabitur. Os eius capitis si super tuum ligaveris et ibi posueris, sanabitur. Testam capitis eius combustam tere et da infirmo bibere, sanabitur. Sinistrum oculum sale conditum liga ad quamlibet partem corporis in negotium eunti, lucrum erit certissimum et valebit in adversis ......

fol. 84ʳ. Ut mures non comedant annonam in horreo. In vigilia Sancti Iohannis post occasum solis vade ubi verbena est et gira (cf. Ducange s. v.) eam cum cultello in circuitu ter (t̃re *cod.*, terrae *proposuit Iahnke*) et dic ter 'in nomine patris et filii et spiritus sancti'. Cum dixeris 'in nomine domini' mitte cultellum subtus radices eius in terram et permitte sic et cultellum et herbam per totam noctem. Lucescente die valde mane veni et abstrahe cultellum et fode eam cum ipso cultello et dic orationem dominicam; sed cum (cum s., cod.) 'libera nos a malo' dixeris, abstrahe et pone eam super altare, ubi missae celebrentur VIIII; post hoc recipe et custodi usque tempore (!) messis, dum annonam posueris in horreum, in prima garba mitte particulam de illa herba et pone hanc et ceteras, non ultro gustabunt mures et si aliquam partem habueris super te, per totum annum non timeas a malo neque a maleficio aliquo.

fol. 84ᵛ. Contra morbum regium. Optima et certa ratio est, quia ego iam desperatae salutis plurimos curavi. Si ⟨de⟩ rafani suco in asso balneo bibis et in qualicunque potu mane ieiunus parum urinae tuae bibis et de rafani suco et de urina aequali mensura; sine dubio deo auxiliante multum prodest. Item accipe aquam de tribus fontibus in nomine sanctae trinitatis et fac hominem illum balneari quam calidissime possit. — Ut scias mulier quid sit paritura. Apium viride nescienti in capite pone, si primum aliquid nominaverit ⟨masculum⟩, masculum habet; si autem feminam, feminam portat. Si paene nullum nominaverit, incertum est. Item guttam lactis ipsius mulier in aqua pensili exprimat; si nataverit, puella erit, si merserit, masculus erit. (Quando sit paritura *cod., corr. R. Iahnke et Fr. Skutsch;* masculum *adiecerunt Fr. Skutsch et Fr. Vollmer.*)

fol. 85ʳ. Eraclea. Si quis in via tutus ambulare voluerit, latrones timere non curet, quia fugat eos et pro unius viatoris persona

multae personae videntur insidiantibus. Precatio. Adiuro te per virtutes omnes quae in te sunt et per illum, qui tibi dedit multas virtutes, ut non mihi deneges de omnibus virtutibus ullam, ubicumque te portavero. Antequam maturescat flos eius, tollas eam ante solis ortum plenilunio dextra manu sine ferro laevaque absconsa. — Part⟨h⟩enicon, Caristellum, Bubastes, Artemisia. Si quis item facit in ambulando et in manu portaverit, non sentit laborem itineris, fugat daemonia, prohibet maleficia, venena discutit, avertit oculum malum. Cum radice et semine tolle ante lucem solis; pone in domum, ut intrans (it̃ ram cod.) tangat. Herbam proserpinam, centenodia, quando vis ad profluvium mulieris dare, lege illam herbam die Iovis luna decrescente et dic: 'Herbula proserpinatia, Horci regis filia; adiuro te per tuas virtutes, ut quomodo clausisti partum mulae, claudas undas sanguinis huius'.[1]) fac potionem et da ei bibere.

fol. 86ʳ. Contra caducum morbum. Tolle illum aut illam, qui hanc infirmitatem patitur, in festivitate Sancti Stephani protomartyris et ducat illum quidam laicus ad fluentem aquam et vertens eum ad orientem dimergat (!) tertio dicens: 'In nomine patris et filii et spiritus sancti' et eductus de aqua non se vestiat prioribus vestimentis, sed aliis; et si possibilitas est illi, det pauperibus; sin autem, vel calciamenta tribuat. Ipsa vestimenta non induat, nisi lota sint et sic eat ad ecclesiam portans candelam suae longitudinis et cantetur illi cursus totus a parato presbytero et iacta benedicta aqua illum totum aspergat et praeterea illi missam decantet et eucharistia communicet et postea per VIIII dies quidquid manducet et bibat cum exorcisato sale et benedicta aqua decoquatur et misceatur et saepe per VIIII dies cursum et missam et eucharistia habeat et in ultima venere cum habet missam de die, decantetur illi missa de sancta cruce et imponentur VI candelae super altare feriis inscriptae excepto dominico die et finita missa accipiat eam quae primitus ad manum venerit et promittat sanctae cruci illum diem se absque redemptione semper usque ad extremum ieiunare de carne et pinguedine. Haec sunt verba sancti Sigismundi (super altare ferus *cod., em. Vollmer*).

fol. 86ᵛ. Sic curandi sunt, qui per maleficium cereae imaginis depravati sunt. In die dominico diluculo pergat ad ecclesiam laneus et discalceatus et habeat tredecim presbyteros paratos et prosternat se in conspectu domini et postulet veniam̃. Tunc accedat unus presbyterorum illorum et tangat illum et dicat: 'In nomine domini nostri Iesu Christi Nazareni crucifixi, adolescens, tibi dico, surge.' Tunc surgat et det ipso (!) presbytero tres denarios in honorem sanctae trinitatis et aliis XII unicuique unum et postulet cantare unumquemque eorum missam pentecostes spiritus domini et

1) Idem habet cod. Vindob. 93 fol. 35ᵛ; cf. Haupt in 'Sitzungsberichte der Akademie' Vindobonae 1872, 71 vol. p. 528, cf. supra p. 488.

tunc ponderet se pane, vino, cervissa, argento, quantum sit, grano et det eleemosyna et eligat unum de ipsis clericis, ut sibi cantet ipsam missam spiritus domini unum annum dominicis diebus et ipse accipiat sacrum corpus domini. In quarta feria (cod. frã) ieiunet propter vigiliam ascensionis domini non aliter nisi ut abstineat se a carne aut de caseo aut ab ovis aut a pisce aut a vino aut a medone et in sabbato similiter propter vigiliam sanctae resurrectionis domini.

fol. 86ᵛ—87ᵛ *sequitur pars e Ps.-Apuleii libro de virtutibus herbarum magnis cum lacunis* c. 14—48.

Item singulari comitate Usener incantamentum mecum communicavit, quod e codice Scaligerano lat. 28, saec. IX, fol. 1ᵛ exscripsit:

Dum venirem de oriente, vidi caballum morientem, Adiuro te, caballus, per patrem et filium et spiritum sanctum et per dominum omnipotentem, infusaras de tuo corpore vertant in tuos pedes et omnes infusairas exeant per tuo corpore (!). Veruna veruna unde veruna; mare sub aqua non te condem(p)net. qui me sanum fecit, ille mihi praecipit: 'tolle grabatum tuum et ambula in pace.' Pater noster.

Ultima verba ex evangelio (Ioh. V 8, 9, Marc. II 9) sumpta sunt.

In codice Engelbergensi 45, saec. XII, fol. 157 inter alia leguntur haec incantamenta, quae Benedictus Gottwald pater bibliothecarius benigne mihi descripsit:

I. Contra fluxum sanguinis. † Caro † cruce † fac restringere ysmabelite. famule tue N. Amen. † In nomine patris † et filii et s. † protege, domine, famulam tuam N. ab hoc malo et ab omni infirmitate corporis et anime. † contra hoc signum nullum stet periculum. † † †. A. B. G. H. O. Q. V. 8. 2. f f f.

II. Benedictio ante febres. N. pater. N. filius. N. spiritus sanctus. † ob leo. ? ? N. aries. N. virtus †.

III. Ante vermes. † bon † pen † na † ason † ad dentes. In eremo in monte Celion ibi sederunt VII fratres dormientes † Marcius † Marcellinus † Serapion † Alexander † Vitalis † Philippus † Dyonisius †, per istos VII fratres dormientes coniuro vos vermes, ut recedatis et hominem istum non ledatis.

Permulta superstitiosa medicamenta praebet codex St. Galli 751, saec. IX inedita, de quo Valentinus Rose Herm. VIII p. 48 sq. egit et nonnulla p. 54 iam edidit. In illo codice pp. 183—292 exstat libellus, qui vocatur 'Medicina Plinii' multis cum interpolationibus; de hac re vide Rosei verba; e magno locorum insertorum numero haec incantamenta exscripsi:

c. I = p. 184. Ad capitis dolorem. adscribes in papyro ferarum nomina et ad caput ligabis: 'lea, leo, taurus, tigris, ursus,

pantera, pardus'; dum ligaveris in silentio, dicis ipsa nomina. (*cf. Marc. XXXII 18. nominabis singulas anus viduas et singulas feras.*)

Ps. Plin. I 1, p. 11 R. = p. 185, l. 16. Item capiti. herba quae statuae in capite nascitur collecta luna crescente alicuius vestis panno et lino rufo illigata apposita capitis confestim dolorem sedat et nomen hoc in charta scribes *ΖΩΑΡ*.

ib. = p. 186, l. 1. Ad vertiginem capitis radicem de rubo capiti alligabis. Ne caput aestuet ⟨h⟩omini, puleii folia in anulo sub gemma inclusa aut insuper aurem portato, hoc facito ne gravedinem perfricationis sentiat. Item puer virgo ubi mincxerit, lutum tribus digitis su⟨m⟩is. frontem tibi linis. Ad capitis dolorem etiam si febricitat folia hederae numero VIIII cum aceto et oleo decoque trita et fronti inline. Adversus eterocrania ⟨h⟩alitum manu dextra cludes, super cerebrum explanabis et hoc dicis 'hoerbae et hooras erbaebo abraxat boetitae'. Ad capitis dolorem incantabis, exues terram et ter manu pectus tanges et hoc dices: 'caput dolet, quare dolet? non dolet.'

c. I 4 = p. 190, l. 23. Erat quidam qui hoc remedio ad certissimam sanitatem perfruebatur. Salis tribus micis sumptis cum ad puteum aquae venisset ⟨et⟩ singulas in puteum deiecisset, ita precabatur ut, 'quemadmodum hic sal seritur et ad nihilum reducitur, sic mea lippitudo coalescat'.

ib. = p. 191, l. 11. Ad percussum oculi praecantabis haec in oculum dextrum de manu sinistra: 'servus fugitivus recte caesus mox ligatus ferro transfixus post viam currebat et dicebat: 'hodie quod est, cras non est."

c. I 7 = p. 197, l. 4. Infirmis, sanguis cui currerit multum et non poterit restringere (!), scribe de sanguine eius in fronte ipsius de grano turis nomen ipsius inversis litteris, apices deorsum, et mox stat.

c. I 8 = p. 198, l. 5. Item ad dentium dolorem urticae radicem in aceto decoque et ex eo aceto in os contine, sedat statim. Item cum videris primum lunam novam, tenes adversis manibus ad maxillam aliam [ad] aliam manum et dicis: 'nova luna, novi dentes, putres vermes exspuo', hoc ter dicis et exspues.

ib. l. 13. ⟨Ad⟩ dentium et capitis dolorem contra lunam dicis haec: 'luna nova, dentes novi, vermes putridi, foras exite.

Cod.: 4. estate. — alii cuius. — pannū. — 5. nomen hunc. — 7. ad *adieci, ut saepe.* — 8. puli folia. — 9. inclusum. — aure. — facto. — 10. mincxerint. — 11. folias edere. — 13. dextrae. — 18. ad *supplevi.* — 19. sales. — tribus miscis; *corr. Fr. Skutsch et Fr. Vollmer; cf. p. 478 n. 51.* — 20. a puteū. — ⟨et⟩ *suppl. Vollmer.* — deicient. — 22. mam lippitudo; etiam *coni. Fr. Skutsch.* — quoalescat. — 24. oculorum. — rectaecesus. — 29. inversus. — 30. ///statum, i *in rasura.* — 31. ad *supplevi.* — 32. decocae. — 34. alium manum. — puteres. — 35. exputo; *septenarium sic metitur Skutsch:* 'nóva lúna, nóvi déntes, pútres vérmes éxspuó.'

quomodo ad te nec lupus nec canis adtingere potest, sic nec ad me, ne caput meum dolor aliquis adtingere possit.' Hoc nomen in charta inscribis et caput ligas.

ib. p. 201 (*in inferiore margine*). Praecantatio ad faucium dolorem; haec dicis, manus inversas tergori inducis: [ita ut] septem [a] tusella VI tusella [se illas et a tusella] V tusella IIII tusella III tusella II [duo] tusella I tusella <nulla>. Item ....

ib. p. 202 (*sub textu*). Ad tusellas praecantas: 'Neptunus tusellas habebat supra petram, hic stabat, neminem habuit, qui curaret, ipse se curavit falce sua triplice'; hoc ter dicis.

c. I 13 = p. 202, l. 21. Ad ea quae faucibus adhaerere solent. Ad travoratum. Si in gulam ossum (!) de pisce haeserit sive alia res, de sinistra manu tangens cerebrum et de altera spinam novies <dices>: 'lafana (?) piscator exi et fac quae te iussit Iuppiter' et exspues. Item travoratum aliter: sinistra manu alteri tanges cerebrum et dicis 'sanat venator, exi et fac quod Iuppiter iussit' novies dicis et exspues. Travoratum si quid in ore haeserit, sic incantabis ter carmen: civile (?), cernas ad me, sanum facias continuo, exscreato, elicito, traicito, foras mittito. Travoratum equis bobus asinis: Hercules et Iuno regina, adveniatis huic caballo, bovi vel asino qui est travoratus.

c. I 17 = p. 206, l. 1. (Ad tussim) scribes in charta virgine hoc nomen Ialdabrae et de spongia nova tollis lapillum, alligabis tibi et suspendes ad collum.

c. I 18 = p. 207, l. 6. (Ad cervicem.) Item <ad> ossum cervicalem (!) infantibus praecantatio; dicis sic: [et] 'filio illius Gai Sei [h]os patet: caelus patet, stellae patent et tu ossus cervicalis resili sursum'.

ib. p. 207 (*infra in margine*). Item uvae praecantatio: manu inversa dicis et capillos superducis et dicis: 'uvae regina Orci filia, adiuro te per inferos et per superos, ut tuo loco tu redeas.' Item ....

II c. 12 = p. 220. Ad linguam haec dices: 'Quomodo sol a patre et a matre exit et polum circat et loco suo revertitur, sic et, lingua, loco tuo revertaris' et duobus digitis pollicibusque ungues manum et lanam cum manna imponis. Lingulae praecan-

---

3. hunc nomen. — 5. dicit. — tergo rūdocis. — septem a t (9 supra t) VI. *Ad incantamentum ipsum cf. Marc. XV 102.* — 7. nulla *suppl. Skutsch.* — 10. quē curare. — ut falcis suis triple. — 13. travoratum *bis*. — 14. crebrum. — ispina. — 16. sinistram. — alteris. — 17. crebrum. — venatur. — 19. sano. — 20. dicito. — 21. bonis. — regino. — 22. cavallo. — 24. hunc. — I. *in* Ialdabrae *erasum, fortasse* Ialdabaoth, *gnosticorum deus?* — hispungia. — 28. garseius, *cf. supra p. 480 adn. 1.* — petet; *corr. Vollmer et Skutsch.* — parent. — 29. resilis uso; *corr. Skutsch.* — 35. exet. — 36. pollicibus quo; *corr. Skutsch.*

tatio: novies dices: 'Iuno Iovem rogabat, qui levaret lingulam; quomodo sol, quomodo luna, quomodo vespera, quomodo septentriones, quomodo Lucifer et Antifer redeunt, sic revertatur loco suo, redeat lingula.' Lingulae praecantatio: duobus manibus tangis de melle et dicis haec: 'quomodo gallina pullos suos vocat, convocat, sic et ego illius Gaii Sei lingulam voco, ne doleat ne noceat eum, sed redeat'; et sic facies ['quomodo gallina'] tredecies.

II c. 14 = p. 220, l. 15. ⟨Ad⟩ concoctionem. Radicem ficulneae ⟨in⟩ vini cyathum unum inradito, radicem priusquam cenes et dum cubiculo ibis, bibito. ⟨Ad⟩ digestionem. carmen dicis hoc: 'Lupus carnem crudam ⟨voravit⟩, sanguinem bibit, nihil sibi nocuit, sic ego, Gaius Seius, quod de dextera accepi, de sinistra deduco digestionem.' Cuminum cum melle calido bibat ⟨ad⟩ digestionem, venis hora sera, accipis anethum et submasticas et in calida aqua bibito.

II c. 23 = p. 226, l. 30. Ad renium dolorem. In balneo cum te despoliaris, antequam aquam tangas, accipies oleum in manu sinistra, dicis nomen hoc: *Φαρμακους*. hoc ter dicis et manu fricas cum oleo, novies sic lavas.

II c. 23 = p. 227, l. 12. ⟨Ad⟩ renium dolorem vel cetera alia praecantatio: dicis haec: 'Domine deus omnipotens his dolorem salvat, angeli audierunt, prophetae cognoverunt, homines salvati sunt; audi corce et perage animam. Domine deus omnipotens salvat, angeli audierunt, prophetae audierunt, audi dolor renium, exi a medullis ad ossa, ⟨ab ossibus⟩ ad pulpas, a pulpa ad nervos, a nervo ad cutes, a cute ad pilos, a pilo in centesimum' excutiens incantas, exspues aut ter aut quinquies aut septiens aut novies. Ad renium dolorem dicis hoc: 'Domina Luna, Iovis filia, quomodo lupus non tangit te [et] sic et renes meos dolor non tangat. Si renem manducavero offendo.'

Ib. *in margine inferiore.* haec 'adiuro vos, quattuor parietes, nec aliquando remanducet, renes mihi dolent'. ⟨Ad⟩ renium dolor ⟨-em⟩ vel cetera alia praecantatio. dicis haec.

II c. 27 = p. 229, l. 8. Infantium praecantatio. dicis haec: 'Quomodo rota se volvet, quomodo vipera se flectet, quomodo lacerta . . ., quomodo intestinum, quomodo fimbriae

---

3. septentrion. — Antiver. — 6. Gesei. — lingula. — 8. trideci. — 9. radix. — 11. ibito bibis, *emend. Skutsch et Vollmer.* — haec. — 12. voravit *adieci, cf. supra p. 487.* — 14. mel et calida. — 15. ora sera. — 18. dispuliaris. — oleo. — mano. — 19. nomen hunc. — 21. dolor. — 22. praecantati. — 24. perage *Vollmer,* pape *cod.* — 26. ab ossa. — 27. a pulpas. — a nervos. — a cutes. — 28. a pilos. — centesimo. *Ad incantamentum ipsum cf. carmen alterum Germanicum quod dicitur Merseburgiense.* — 29. Renũ dolor. — 31. rene. — 38. quod fimbriae.

exeunt de suo loco, sic et tu quantum glutiaris, ama locum tuum tibi coagularem, cuius lac bibisti.

II c. 32 = p. 231, *in margine*. Coli doloris praecantatio. Coridali cor circa ventrem alligato lino aut licio et sanguine eius ventrem hominis perunge et dic 'fuge coli dolor, coridalus te fugat', ipsum autem et manducet. Item ...

II c. 32 = p. 232, l. 1. Item. ⟨Ad⟩ coli dolorem medium lupi cor siccum tritum sive cinis factum, ex eo duobus digitis tollis et in mero die Iovis dabis, prius super calicem, cum iam pulverem miseris, facies signum Christi et sic dicis: 'torquetur sic deus Christus, liberat eum.' hoc ter dicis. Item ....

Ib. l. 15. Item cum primo cucurbitam videris, idem ipse radicem de canna acuta, ne ferrum tangat, secas, totam radas et cum vino roseo mero ieiunus bibas, 'tante te' dicas, antequam bibas. Remedium ad coli dolorem. Item ....

II c. 32 = p. 236, l. 8. Item coli dolor et matricis dolor. Piperis grana tria, iuniperi unum teris, dabis in potione vini vel in aqua calida et dicis ter: 'Tres sorores ambulabant, una volvebat, alia cernebat, tertia solvebat.' Ter hoc dicis, ter exspues et da ut bibat, statim sanat.

II c. 33 = p. 236 *in margine inferiore*. (Ad coli dolorem.) Sic praecantabis: 'Mons mugit, nymphae sitiunt, terra furit.' Hoc ter dicis et exspues singulis in oleo. Item .....

II c. 33 = p. 237, l. 4. Item ad torminosos hominum sive strophum in animalibus scribis, ubi volueris, et in umbilicum ligabis 'lolismus lolistus', alliga torminibus hominum sive pecorum.

II c. 38 = p. 239 *infra*. Item ⟨ad⟩ vesicae dolorem scribes in vesica porcina, mascula de masculo, femina de femina et ad umbilicum suspendes et eius nomen scribes cui facis: 'Abarabarbarica borboncabradubrabarasaba'.

II c. 42 = p. 245, l. 9. (Ad ramicem.) Ranae rubetae vivae pedes posteriores testiculo alligato pueroque immobile resupinato ramicem adversa rana saepius tundito dicisque: 'Quemadmodum ista arefiet, sic huius pueri rami exarefiant'; atque ita vel ⟨in⟩ arida arbore vel in fumario eam suspendito.

II c. 45 = p. 247, l. 13. Incontinentia urinae. In cubile canis urinam facere utile est inque eo verba dicere: 'Quomodo canis

---

1. qua tu. — 2. quagularem. — 3. colidor. — colidale cor. — 4. alligatum. — 5. *Incantamentum pendet ex Alexandro Tralliano II p. 377, cf. supra p. 480.* — 8. cinus. — 10. xp̄i. — torquitur sit. — xp̄s. — 12. radix eam de canna. — 13. sicut. — 14. bibatis. — dicat. — bibat. — 17. piper. — ioniperi. — 18. *Ad* tres sorores *cf. supra p. 492, 496 sq.* — 20. istatim. — 25. in *Skutsch*, ut *cod.* — 28. masculo. — 29. iscribes. — faces. — 32. resticula alligatos puero quae. — immovile. — 33. ramice — tondito *corr. Skutsch et Vollmer.* — 34. //sta. — 37. in qua ea.

in cubili suo meiat, sic et ille meiare possit in cubili quo dormit.' *Cf. supra p. 487, Marc. XXVI 129.*

ib. = p. 249, l. 14. ⟨Ad⟩ syringium (!) curandum haec verba infrascripta dicis, ascendis in montem mundus purus ex omni re, ter dicis sic extensa manu palmam habens: 'Sol invicte, adiuro te per dominum omnipotentem creatorem mundi, qui ortu tuo diem illuminas et qui occasu terminum das, ut quidquid hoc [ad] meum vulnus erit, sive syringium, sive fistula, sive rhagadium, ut cures me [sive] sanumque praestes et iuro me in dies vitae meae bubula numquam manducaturum'; dum haec fecerit, ex alia parte in domum suam revertatur, ita tamen ut retro se non respiciat.

II c. 52 = p. 251, l. 7. Inguinibus nomina mulierum viduarum novem per singulos nodos licium ⟨ligas⟩ super talum et dicis singulis nodis singula nomina; protinus tollit. *Cf. supra p. 475 sq.*

II c. 54 = p. 252, l. 29. Sciaticis. Ante ortum solis vadis ad mare per triduum et iurabis te aleum non manducare; remediabis.

II c. 57 = p. 254, l. 20 *a Valentino Rose editum in Hermae vol. VIII p. 54, cf. supra p. 501.*

III c. 2 = p. 265, l. 26. Ad scabiem. Item vel tribus digitis cum comprendas, haec ter dicis et dispuito: 'furem ferum furca premet cum dolore fero, fur surgit foras.' Haec gratis docere non oportebit.

III c. 16 = p. 268, l. 10 = *Rose l. c. cf. supra p. 500, sed non legitur* in ferrum, *ut Rose scribit, sed* dicis haec, ut ferrum candens linguam restringat, ne noceat.

III c. 18 = p. 270, l. 6. Caducis, si quis in publico cadit ac patitur, remedium. dicis ei in aure quando patitur: 'Mus albus et peniculus canus in eo mox ab illo fugit;' haec verrinis et spurcis adicies, ⟨si⟩ spumam de ore demittat, alicui animali dabis, sed cavere debes, ne de eodem animali quisquam gustet.

Deinde sequitur remedium ad Daemones effugandos, *quod Rose l. c. edidit, cf. supra p. 501 sq.*

III c. 21 = p. 272, l. 1. Tertianis. Vadis in agrum et invenis nepitam, tenes eam duabus manibus et torques eam quantum potest iam tossi (?), super eam ponis lapidem grandem qui eam premat et dicis: 'Nepita si remediaveris, dabo tibi congium aquae.'

III c. 22 = ib. l. 4. Ad quartanas. Quartanariis febribus un-

---

5. palma. — 6. ortus tui die, *corr. Iahnke.* — 7. hoc casui, *em. Fr. Vollmer.* — 8. meu ulnus. — 14. talem. — 18. *Ad sententiam cf. Plin. XIX 101 et Iuv. XV 9.* — 22. co conpenso, *corr. Vollmer.* — firem furcam. — 23. p̄m et. — dum doloreque rufur, *corr. Iahnke.* — 28. cadunt adpatitur, *corr. Skutsch et Vollmer.* — 30. penicula canis inā. — 31. ispumam. — demittant. — 32. capere. — animal. — 36. torcis. — 38. *Ad sententiam cf. Marc. XXI 2, supra p. 482 n. 66 'praeparabo tibi vinum'.*

guentum; eum curabis oleo, in quo ranae rub(et)ae trivio decoctae sunt, omne corpus aegri perungues. Quartanariis remedium: ranae possi misterium (?) ////adiecto, quae verbis praecantatur ut supra 'cotidianam tertianam rogo liberes' et sinistro bracchio ligas; etiam veterem quartanam effugat.

III c. 22 = p. 272, l. 12. *vide Rose l. c. p. 55.*

ib. l. 18. Item (quartanariis) ea die qua laboraturus est patiens, venis ad locum et nascenti sole cum ipse micas turis accipias, dices 'eia me domne' et mittis unam et ipsum dum nimium misisse ponis, numerabis a te unum duo, tu es domine.

ib. l. 23. Item ungulas de manibus et pedibus quartanam habentis ante solis ortum, dum resecantur, dicito cotidianae tertianae quartanae remedium sumere, tunc eas in cera coniectas alienae ieiunae infigito; remediasti. Item de quadrivio collecti lapilli tres, subiectos in cacabo abscondito et dicis: 'Quomodo hos sol videre non potest, sic et illos quartanae non videant.'

III c. 32 = p. 275, l. 14. Item. Scribis in charta vel in diptycho et nescienti sub caput eius ponis, hoc graecis litteris scribis. *Sed incantamentum deest.*

III c. 51 = p. 276, l. 14. ⟨Ne⟩ ebrius fiat. Item herbae anemonis radix tusa sublata, coniecto in locum eius quolibet nomismate, dictis verbis dum tollitur: 'tollo te anemone, ut sis remedium ebrietati' portata in coccineo panno mire facere dicitur.

III c. 54 = p. 277, l. 1. Ad lassitudinem herbam artemisiam in sinistra manu teneto et dicis: 'Remedio lassitudinem ⟨in-⟩constantiamque.' In manu portata mire facit.

III c. 68 = p. 278, l. 20. Item (ad canis morsum). Accipies spongiam et delavas morsum ipsum et incantas de ipsa spongia et lavas de frigida aqua et dicis: 'Frigidus canis et frigidus morsus illius' et spongiam cum aqua super vulnera ligas. hoc statim ut morsus est una aqua de aliqua re contingitur.

ib. l. 27. Item (ad canis morsum) praecantatio. priusquam tangas, dicis: 'canis mordet et stupet, non dolet', ter dicito et ter exspuito et ter terram mingito.

Deinde a p. 354—413 sequitur in codice tractatus, cui 'Dynamidia artis medicinae' titulus est et nonnulla incantamenta inserta sunt.

p. 378, l. 20 = c. 83. Ad nesciam res probata. Item aliter: colligis agrimoniae manipulos tres, artemisiae manipulos tres, piperis grana XX et ipsa deorsum ab oratione dominica folia colligis,

---

1. oleum. — decocta. — 3. cum supra. — 4. liberis. — 5. veteram. — 7. paciens. — 8. nascentis ole. — ipso micaturus aspicias dicens, *corr. Vollmer.* — 12. habentes. — resescantur. — 13. eos. — coniectus. — 14. infigit. — 15. cabo abscondito. — hoc. — 18. diptico. — 21. radicem. — coniecta. — 22. anemonis. — 24. herba artemissia. — 25. mano. — 28. ispungiam. — delabis — isfungia. — 30. isfungia. — 31. istatim. — unae. — 34. terra. — 37. nescia rem. — 38. agrimonia. — artemisia.

totum in mortario teris, cum vino facis exinde staupos tres et mel ibidem mittis et qui iniurias habet de nescia, ipsam potionem bibat die Iovis luna decurrente et ipsa luna ... die alio Iovis non habeat; et hoc maturius ante solis ortum bibat et illo secundo staupo die Veneris similiter sic faciat.

p. 383, l. 21 = c. 158. Item ad ficos. Herba losera (?) quam dicunt mentastrum i. e. menta alba, colligis die Iovis luna decurrente fasciculum cum oratione dominica; piperis grana XXX, mastichae grana XXX in vino distemperas et per tres dies bibat; remedium est.

p. 392, l. 25 = c. 222. De verbena dicitur. hoc est herba sanguinaria. ipsam colligis in mense Maio die Iovis luna decurrente ante solem levantem cum oratione dominica et nullum ferrum super te non habeas nisi paxillum roboreum et in nullam domum non introibis, antequam illa in ecclesia ponantur et duodecim missae dictae sunt, et dabis bibere, ubi volueris, et omnia sanantur. Hoc Diocletianus probavit.

p. 400, l. 23 = c. 265. Mandragora mirra. super ipsa cantas CCCLXV missas et XII dies antea et postea nullam carnem manducet nec vinum bibat, unam partem ⟨da⟩ manducare et aliam ad collum ligare alias tres se subfirmare; si ligas hanc super se, nullus suus adversarius ei nocere non potest.

p. 407, l. 19 = c. 318. Contra frigolas (!). Tolle decrescenti luna novecimas (?) cum oratione dominica ante solis ortum et unacima de savina similiter cum nova oratione dominica et distemperas cum sale et vino et das ei bibere ieiuno antequam tremolet plenum staupum.

p. 409, l. 28 = c. 326. Ad alvum conciandum. Herbae vettonicae cum oratione dominica uncias duas ex melle accipiat per dies novem.

p. 410, l. 1 = c. 326. Ad frigora cotidiana, tertiana. Herbam rutam cum oratione dominica ante solis ortum levantem colligas et quando colligis illam rutam, dicis 'sed libera nos a malo' et accipis de illa tela aranea quae ad quattuor cornua ecclesiae sunt et mittis oleum in cisindellum et comples illum ex aqua, tantum de oleo mittis, quantum diebus tribus ardeat in ecclesia et lavat de illa aqua, qui (?) hic arsit, quattuor cornua altaris, qui (!) in ipsa basilica stet, ieiunet tantis diebus quantum correptus est ab ipsa

---

2. ipsa potione. — 3. lunatio alio. — 6. que. — 10. birbina. — 11. ipsa. — mad̄ die. — nulla decurrente. — 12. sole levante. — 13. paxillo roboreo. — nullum. — 14. introire. — ut XII missas dicta. — 16. dioclicianus. — 18. ante. — 19. vino. — una partem. — alia. — 20. collo. — illas. — 22. decrescentione, *coni. Skutsch et Vollmer.* — 25. pleno staupo. — 27. herba vettonica. — 30. tertianas. — herba ruta. — 31. levante colligat. — 32. illa ruta. — 33. cornis. — 34. cesindilum. — 35. lavit. — 37. estet. — tangis.

febri. hoc ter per vices faciat, maximum remedium est adprobatum per multos servos dei.

p. 412, l. 1 = c. 370. Ad excitandam libidinem piperis grana decem, euphorbiae grana decem conteris et cum oleo et vino veteri ad spissitudinem redigis ex quo veretrum inlinis, ut calescat. Item. si quis autem perpetuum inermis ad cupidinis bella festinat, ⟨a⟩ magna Venere fisicorum ei reddenda est virilitas. Herba dicitur quae ⟨est⟩ in rivulis perennibus ita ut defluenti [-um] unda mergatur et modo sublevet et erigat caput. Hanc luna crescente digito pollice et medicinali colligis et contritam accipies ieiunus in potu. Item palum de vinea evellat et in eadem caverna ex qua illum evulserit, mingat eumque inversum ibidem reponat et quod deorsum fuerat, mergatur in terra cum his verbis quae dicis septies et totiens exspuis: 'quemadmodum hic palus erectus est, sic et natura mea erigatur et fortis sit.'

p. 412 *infra idem remedium exstat, quod p. 378 l. 20 c. 83 supra p. 561.*

p. 413, l. 21 = c. 375. Ad omnia maleficia intra hominem expellenda .... Colligis herbam basiliscam cum symbolo et oratione dominica, sic tollis de herba ipsa [de] radices uncturam unam teris diligenter et cum novella cervisia [et] dabis bibere ieiuno et si fastidium fecerit sal mastichae.

A p. 424 incipit liber medicinalis alius, qui haec habet:

p. 432, l. 23. Ad poda ⟨-gram⟩ poma de agro dato, quae vermes habent, cum oratione dominica colligere facias et in cortinula de nuce mittere facias et folia de artemisia et agrimonia ......

p. 434, l. 25. Ad somnum mirificam rem scribe in manica cultelli a ferro incipiens bis: 'fres refres perfres serperis' quod nescienti ad caput ponis et de ima tincta fiat.

p. 437, l. 14. Item ad inguinum dolorem. parte qua dolet furculam antilimum (?) ligabis tribus nodis et dicis in uno nodo: 'deus Abraham', in alio nodo: 'deus Isaac', in tertio: 'deus Iacob', ter ligabis dolorem.

p. 441, l. 18: Ad morbum porcorum super panem dicas: 'In nomine patris et filii et spiritus sancti. oratione dominica', contradicas: 'agius est, agius est, agius est, sanctus est ille porcus, qui de isto pane manducat nec de thalau nec de purpuriolo nec de nullo morbo morire (!) non debeat; in

1. febra. — p̄ ter vicibus. — 3. excitandum. — 4. euforbio. — 5. et quo. — 6. intermis, *em. Iahnke.* — 7. magnam Venerem. — ei ē. — virilitate. — herbam. — 8. ribulis. — 9. anc luna — 11. mingant. — 19. expellendos. — herba basilisca cum symbolum. — 20. unctura una. — 21. cervisa. — 22. sic. — masticę. — 24. puma de agudanto qui, *corr. Vollmer.* — 25. crotiolo, *corr. idem.* — 28. ac ferro incipiebis. — 30. sanguinem dolore, *corr. Skutsch.* — dolit forculum. — 31. legabis tribro. — noto. — 32. interciū. — 33. tercabis, *coni. Skutsch.* — 34. sop. — 35. spū scō. — 36. cantre. — 37. pucius, *corr. Vollmer.*

nomine patris et filii et spiritus sancti'; tertia vice hoc dicas super panem et sic ieiuni porci manducent. item ad morbum omnium pecurum. ✳ chavit rauto † ad qui bany † de p̄ corte ut maxime retor ✡.

ib. l. 28. Ad canis morsum scribis in charta virgine: 'oscaragi III ego ungue'. Ut cito pariat mulier: 'Sicut Adam clamavit ad Evam: advena, exi foras. Adam exspectat, age ergo III.'

p. 452, l. 11. (Contra fleumata.) Adiuva me, deus salvator meus, in adiutorio tuo, adiuva nos cantare et praecantare una cum sancto Zenone Abraham et sanctum Raphael et sanctum Uriel, chorum angelorum et sanctum Damianum purga manum suam, hic move vermes de ossa si a garo vermes, si vermes farcum cello (?), move de ossa si vermerimo (?) move de ossa si vermes graneo (?), hic moveat de ossa in pulpam, de pulpa in pellem, de pelle in pilum, de pilo in terram, suscipe quia carnes portare non potest nec die nec in nocte. Tolle siligineam farinam et mel mitte in frixoria, fac corpus unum et mitte in pellem et pone in malanno et pone de terra qui dicitur milo; si quadrupedia est pone in bucca et sic homo materba (?) sanefiet.

p. 491, l. 14. Ad oculorum dolorem scribe in charta virgine hos characteres et ad frontem ligabis 'obes orbirio'. Ad cordis pulsum scribis in charta pura lino rudi, ligabis genae '† ut lupus ovem non tangat' luna quinta decima chelidoniam colligis et cum sale dabis ei.

---

1. scō spū. — 2. isterat morbo, *corr. Vollmer.* — 5. more sui. — 6. pariar. — addam. — 7. ateva. — atvena. — 12. Rafahel. — Oriel. — cor. — 13. mova. — 14. verme *semper.* — 15. movat. — 16. in pulpa. — in pelle. — in pilo; *cf. supra p. 558, 26 sq.* — 17. in terra. — 18. tolles eligine, *corr. Vollmer.* — melle mitte melle. — 19. frisuria. — 20. pane in. — 23. fronte. — 24. linguabis geno, *an* genu? — 25. celedonia.

Addenda et corrigenda.

p. 534. Ricardo Heim Franciscus Skutsch S.

Invito hercle me fecisti quod, quae olim ego de formulis magicis a Catone de agric. cap. 160 traditis festinanti calamo litteris ad te datis inserueram, sic ut tum erant obiter in latinum sermonem versa edidisti ne dum imprimuntur quidem copiam mihi corrigendi faciens. Sed quoniam factum fieri infectum non potest, saltem in calce libelli tui subicere placuit quibus sententiam meam et dilucidius et plenius exponam quam in pag. 534 videtur factum esse.

Atque quartam e formulis illis eandem plane esse atque tertiam si ab una alterave littera discesseris, iam Bergkius animadverterat (pag. 557) causamque eius rei attulit hanc: „ein gewissenhafter Abschreiber, dem eine zweite Handschrift zur Vergleichung vorlag, hat am Rande eine formell, aber nicht sachlich abweichende Ueberlieferung nachgetragen". De prima et secunda formula sine dubio in eandem coniecturam vir clarissimus incidisset, nisi editione nescioqua usus esset, in qua ipse editor propter nimiam harum formularum inter se similitudinem alteram omiserat. Iam coniectura Bergkiana optime stabilitur verbis *in alio s. f.*, quae primae ac tertiae formulae in codicibus praemissa Bergkius coniectando et interpretando ita detorsit, ut de malleo si dis placet tonitruali intellegi possent, ego vero magica non esse contendo, sed iaiuna et philologa ut quae maxime. Nihil enim valent nisi *in alio s(ic) f(ertur)* et lectionem variam significant ad formulas magicas adscriptam. Quod ut nostro loco ita alibi in eis potissimum verbis factum esse, in quibus si unam modo peccavissent syllabam vel adeo litteram irrita fieri poterant vota magica (cf. Plinii locum a te in ima pagina 527 allatum), neminem mirum habebit. Cui rei ego papyrorum magicarum (cf. antea pag. 535 et quae Dieterich adnotavit 'Abraxas' pag. 9; adde et Reitzensteinium in ind. lect. Rostoch. 1892/3 pag. 20) testimonium advocaveram. Verum alibi quoque ubi praecepta dantur ad litteras exequenda similiter factum videmus. Sic apud Galenum vol. XII pag. 890 Kuehn. duplex versuum quorundam Damocratis medici lectio adfertur interposito ἐν ἄλλῳ εὗρον οὕτω (Damocratis fragmenta ed. Studemund pag. 17 v. 6 sqq.). Sic Pelagonii artis veterinariae textus eiusmodi additamentis identidem turbatus est; vide quae dixit Ihmius prolegom. pag. 2 sq. Afferuntur autem lec-

tiones variae praemissis locutionibus *in alio* 390; *in alio sic* 14, 207, 421; *in alio et sic* 204; *in alio inveni... quaterna dena esse, non quaterna sicut supra scriptum est* 118 et similibus.

Iam puto quivis concedet priore certe Catonis loco olim formulam secundam solam extitisse: *incipe cantare motas vaeta daries dardares* etc., tum vero ex collatione antigraphi ut ita dicam irrepsisse primam: *in alio s(ic) f(ertur) moetas vaeta daries* eqs. Difficilius tertia et quarta formula extricantur. Quamquam id quoque sponte apparere puto eodem modo ad quartam (*et luxato. vel hoc modo, huat haut haut* eqs.) ex collatione antigraphi adscriptam esse tertiam (*in alio s(ic) f(ertur): vel luxato. vel hoc modo, huat hauat huat* eqs.), quo primam ad secundam. Sed lectionum *vel luxato* ~ *et luxato* utra genuina sit ego non certius exputo quam quorsum omnino haec duo verba pertineant.[1])

Illa autem *vel hoc modo huat haut haut* (pag. 107, 3 K.) e. q. s. usque ad finem capitis, utcumque ea quae praecedunt explicabis, inde ab initio eo quo nunc sunt loco fuisse non possunt: quivis enim semel monitus videt induci a tali exordio (*vel hoc modo*) formulam item ut superiorem luxationi sanandae aptam.[2]) Conicio igitur primitus in Catoniani operis exemplari verba capitis 160 perscripta fuisse usque ad *tamen cotidie cantato* (pag. 107, 3 K.) omissis illis *in alio s. f. moctas.... usque dum coeant* (pag. 106 lin. 7 et 8). Deinde primum quidem aliunde ad verba *incipe cantare motas* eqs. adscriptum est sive in margine sive extremo capite[3]) *vel hoc modo* (scilicet *incipe cantare*) *huat haut haut istasis* eqs. Denique utraque formula collata est cum antigrapho et quae inde fluxerunt addita nota *in alio s. f.* in textum irrepserunt.

Sic fere reformata et suppleta velim quae pag. 534 sq. dicta sunt. Tu vero, vir amicissime, vale et mihi favere perge.

---

1) Respuo enim coniecturam quam olim tecum communicaveram *luxare* fortasse idem esse in his verbis quod nobis „einrenken". Si periclitari vellem, conicerem potius *luxato* quasi novom quoddam lemma esse ut paullo ante apud Catonem legitur (cap. 159) *intertrigini remedium* et similia saepe. Atque videtur haec coniectura aliquatenus commendari eis quae iam de extremo capite 160 dicturi sumus. Sed hariolationibus abstinere praestat

2) Quod enim Bergkius collato Plinio (n. h. XVII 267) posteriorem formulam ad grandinem avertendam adhibitam esse dixit, prorsus eum fefellit opinio. Hoc tantum testatur Plinius, volgo ferri talem formulam, verum se verba eius operi suo serio inserere non audere, quamquam in Catonis opere similes ineptiae legantur.

3) Extremo capite addi potuisse collationem formularum magicarum altero exemplo demonstrare posse mihi videor. Puto enim quae leguntur in papyro ab Albrechto Dieterich edita (Fleckeis. annal. supplem. XVI 793 sqq.) VIII 21: τὰ δὲ ὄπιςθεν ὀνόματα τοῦ λίθου ἐπιτετυπωμένα ἐςτὶν τάδε· ιαω ϲαβαωθ αβραϲαξ pertinere ad ea quae leguntur in eodem capite VI 30: (ἐπίγραψον) ὄπιςθεν τῆς γλυφῆς τοῦ λίθου τὸ αὐτὸ ὄνομα αβραϲαξ καὶ κατὰ τοῦ περιζώματος ἐπιγράψεις τὸ μέγα καὶ ἅγιον... ὄνομα ιαω ϲαβαωθ.

p. 529. Inscriptio tusca, quam ex Orelli sylloge (1384) attuli, falsa est, ut Skutsch me certiorem fecit; cf. Corssen 'Etrusker' I p. 49.

p. 541 nr. 235. Laminae illius inscriptio non est lingua celtica composita, sed verba latina et graecă, ut Albrechtus Dieterich amicus comiter mecum communicavit, mixta sunt et sic legenda:

δὶς (?) *κενταύριον ἀναλάβῃς, δὶς* (?) *κενταύριον καὶ* (?) *ἀναλάβῃς, δὶς* (?) *κενταύριον καταλάξῃς* [= *καταλλάξῃς*] vim caninam, vim paternam, ast amast arsset ut a⟨d⟩ te Iustina quem peperit Sarra.

Tabulam ad magiam amatoriam usurpatam esse apparet, κενταύριον enim est herba in ritibus magicis saepe adhibita; cf. Lucr. IV 122 sq., Lucan. IX 918, Plin. XXV 66. — BIS ter repetitum quid sit, clarum non est. — ἀναλάβηϲ, quod fortasse etiam tertio loco pro καταλάξηϲ legendum est, in formulis magicis invenitur, vide Pap. Par. ed. Wessely v. 1316 etc. — 'ast' = at haud rarum est in deprecationibus; cf. Ter. Andr. 666. *at tibi di dignum factis exitium duint,* et Spengel a. l. — 'amast' = amassit; cf. Plaut. Cas. V 4, 23, Pseud. 499. — 'arsset' a verbo ardendi formatum est, ut dixem faxem etc., cf. Stolz 'Lat. Gram.'[2] § 112 et Luebbert 'Beitraege zur Tempus- und Moduslehre' I 102. — Ad sententiam 'arsset ut ad me' conferenda sunt verba Pap. Par. v. 1808 ἵνα με φιλῇ, ἵνα μου ἐρᾷ m. a. — 'quem' = quam; ex hac forma laminam in Gallia aetate posteriore scriptam esse elucet; 'que' enim, Francogallorum relativum, e forma 'quem' ortum est; cf. Schuchardt 'Vocalismus des Vulgärlateins' I 199.

Aliud exemplum huius usus verba graeca et latina miscendi, qui non raro invenitur, nuper editum est in 'Collections du musée Alaoni. I ser. 5 livr.' 1890.

p. 542 nr. 238 et 239. Has inscriptiones Froehnerum et Schlumbergerum plane non intellexisse Dieterich mihi scripsit, haec enim amuleta a gnosticis qui vocantur Kainiticis ficta sunt; qui ὑϲτέραν coluerunt, cf. Irenaeus I 31, 1. *Hysteram autem fabricatorem caeli et terrae vocant* etc. Ad verba δράκων ἐϲυρίζηϲε . . cf. Dieterich 'Abraxas' p. 23.

p. 542 nr. 240. Friedericus Vollmer sic emendandum proposuit initium tabulae: θεοῦ τόδ' ἕρκοϲ ἀλωὴν νόμιζε, βοήθει ἵλεωϲ . . .

In hunc amuletorum numerum, quorum exempla multo augeri possunt, recipienda est inscriptio lapidis achatae: Κλῦθι μοι ὁ ἐν Λεοντωπόλι τὴν κατοικίαν κεκληρωμένοϲ, ὁ ἐν τῷ ἁγίῳ ϲηκῷ ἐνιδρυμένοϲ, ὁ ἀϲτράπτων καὶ βροντῶν καὶ γνόφου καὶ ἀνέμων κύριοϲ, ὁ τὴν ἐνουράνιον τῆϲ αἰωνίου φύϲεωϲ κεκληρωμένοϲ ἀνάγκην. — Ϲύ τ' ὁ ταχύεργοϲ, ὁ ἐπήκοοϲ θεόϲ, ὁ μεγαλόδοξοϲ λεοντόμορφοϲ. Ὄνομα ϲοι . . . .
cf. Froehner 'Mélanges d'épigraphie et d'archéologie' Paris 1873. p. 1 nr. I. cf. ib. p. 6 nr. II et p. 52 nr. XVI.

p. 557 I c. 18. Incantamentum sic restituendum esse Skutschio videtur: praecantatio; dicis: 'caelus patet, sic et filio illius Gai Sei os patet, stellae patent et tu ossus cervicalis resili sursum.'

p. 558 II c. 23 in margine inferiore. Skutsch verba incantationis sic recte transposuit: Ad renium dolorem vel cetera alia praecantatio; dicis haec: 'adiuro vos, quattuor parietes, renes mihi dolent'; nec aliquando renem manduces. Cf. antea p. 558 *si renem manducavero, offendo* et p. 560 *iuro me in dies vitae meae bubula numquam manducaturum.*

Index locorum ubi incantamenta exstant.

(Prior numerus significat paginam, alter minor sylloges numerum.)

Acro ad Hor. art. poet. 417 . . . . 512 148
Aetius Amidenus (ed. Venet. 1534) II 19. . . . . 506 131, 548
VIII 31. . . . . 471 5
ib. 50. . . . . 524 174
(ed. Cornar. p. 832) XV 14. . . . . 523 166
Alexander Trallianus ed. Puschmann I p. 407 . . . . 535 203
II p. 319 . . . . 543 245
ib. p. 377 . . . . . . 480 57, 550
581 . . . . 516 152
583 . . . . 535 204
585 . . . . . 487 88, 523 167
Apuleius Metam. I 13 . . . . 482 67
Ps.-Apuleius de virt. herbar. (ed. Ackermann) XIX 4 . . . . 474 31
XXIV 1. . . . . . . 475 32
XCI 2. . . . . . . ib. 33
Cassius Felix (ed. Rose). c. 69 p. 168 . . . . 542 242
Cato de agri cult. (ed. Keil) c. 160. . . . . 533 201, 564
Codices:
Bernensis A 92 fol. 1ª (Hagen. Catal. p. 129) 498 111, 546
250 fol. 21ᵇ (p. 286) 540 230
334 fol. 352ª (p. 332) . . . . ib. 231
538 fol. 36ᵇ (p. 449) . . . . ib. 232
Cavensis 183 (Pitra Anal. sacr. II p. 641) 538 226
Lipsiensis 175 (ed. Bursian fragm. med. Graec.) 537 217
Palatinus 224 (Pitra Anal. sacr. V p. 293) . . 506 130, 539 227, 228
ib. p. 298 . . . . 539 229
Parisinus 2286 p. 61, 2 ed. Boissonade ('Notices et extraits' XI p. 240) 537 216
Sangallensis 951 (ed. Rose Herm. VIII p. 54)
lib. II c. 57 p. 254 . . . . 501 118
lib. III c. 16 p. 268 . . . . ib. 119
lib. III c. 18 p. 270 . . . . 502 120
ib. p. 272 . . . . 502 121, 520 160
Sinaiticus tab. XX 7 ed. Tischendorf 478 48
Vindobonensis 93 (ed. J. Haupt) fol. 5ᵛ 503 124
fol. 35ᵛ 488 91, 547
fol. 108ᵛ 503 125
fol. 111ᵛ . . . . ib. 126
fol. 113ᵛ . . . . ib. 127
Vossianus L. Q. 9 ed. Piechotta Anecdot. lat. § 57 . . . 497 108
§ 77 . . . 537 218
§ 170 . . . 493 101
§ 172 . . . 537 219

Vossianus L. Q. 9 ed. Piechotta Anecdot. lat.
§ 180 . . . . 538 220
§ 185 . . . . 502 122
§ 189 . 473 16, 502 123, 538 221
§ 198 . . . . 538 222
§ 199 . . . . ib. 223
§ 200 . . . . ib. 224
§ 201 . . . . . 472 15, 538 225
Diogenian. prov. IV 14 . . . . 508 137
IV 78 . . . . 508 137
Dioscorides περὶ εὐποριcτων I 155 . . . . 471 4
Eustathius p. 855, 25 ad Il. Λ 438 . . . . 514 150
p. 881, 42 ad Il. Λ 733 . . . . 513 149
p. 1963, 35 ad Od. ω 340 . . . . 514 150
Festus ed. Müller p. 18 529
p. 123 . . . . 488 92
p. 314 . . . . 500 116
Ps.-Galen. περὶ εὐποριcτων lib. II c. 27, 3 (XIV p. 489 K.). . . 535 202
lib. III (XIV p. 546 K.) 535 202
Gargil. Martial. de cura boum ed. Schuch. § 19 . . . . 477 42, 493 101
Geoponica ed. Niclas.
II 19, 1 . . . . 537 215
II 42, 5 . . . . 523 171
VII 14 . . . . 520 161
VII 31, 2 . . . . 516 153
IX 1, 5 . . . . 488 89
X 87, 6 . . . . 516 154
X 87, 8 . . . . 520 162
XIII 5, 4 . . . . 477 46
XIII 8, 4 . . . . 524 173
XIII 9, 6 . . . . 484 74
XIV 4 . . . . 524 173
XV 1, 25 . . . . 484 74
XX 88 . . . . 524 172
Harpocration (Pitra Anal. sacr. V p. 293) . . . 506 130, 539 227—229, 548
Hippiatrica ed. Miller ('Notices et extraits' XXI 2)
p. 15 c. 17 . 500 115, 536 205, 550
ib. c. 19 . . . . 477 43
ib. c. 20 . . . . 536 206
ib. c. 21 . . . . ib. 207
ib. c. 22 . . . . 481 65
p. 16 c. 23 . . . . 536 208
ib. c. 24 . . . . ib. 209
ib. c. 25 . . . . ib. 210
ib. c. 26 . . . . ib. 211
p. 22 c. 62 . 488 90, 523 170, 536 212
p. 33 c. 156 . . . . 496 106
p. 37 c. 201 . . . . 472 13
ib. c. 202 . . . . 542 241
ib. c. 203 . . . . 484 75
p. 69 c. 440 . . . . 536 213
p. 90 c. 603 . . . . 472 12
p. 100 c. 692 . . . . 499 113, 548
p. 123 c. 979 . . . . 477 45
ib. c. 980 . . . . 507 135, 548
p. 128 c. 1026 . . . . . . 537 214
p. 138 c. 1093 . . . . . . 477 44
p. 148 c. 1214 . . . . . . 543 244
Horat. art. poet. 417 . . . . 512 148
Iamblich. de vita Pythagor. XXV § 113 N. 517 155
Inscriptiones:
'Annali di corr. archeol.' XVIII p. 214 (Henzen) 541 236
'Archaeol.-epigr. Mittheil.' II p. 49 . . . . 480 58
Buecheler Anthol. epigr. I n. IX 509 140
C. I. G. III 6308 . . . . 509 141
IV 9065 . . . . 521 163
C. I. L. III 5561. IV 1454. X 8023, 7 . . . . 510 143
Ephem. epigraph. VIII 238 . . . . 541 234
Espérandieu 'Épigraphie de Poitou' p. 335 . . . . 541 235
Friederich-Wolters 'Berlins antike Kunstwerke' II p. 291 . 541 237
Froehner 'Kritische Analekten' (Philol. suppl. V p. 42) . . 542 240
ib. p. 45 . . . 542 238
Inscript. graec. Sic. Italiae ed. Kaibel 2413, 12 . . . . . 506 132

Inscript. graec. Sic. Italiae ed. Kaibel 2413, 14 . . . . . . 507 134
ib. 15 . . . . . . ib. 133
ib. 18 . . . . . . 521 163
2580, 2 . . . . 517 157
Kaibel Epigramm. graeca 1137 . . . . 509 141
1138 . . . . ib. 139
1140 . . . . 521 163
Muralt 'Chronographie byzantine' p. 749 . . . . 542 239
Orelli-Henzen III 7287 . . . . 510 143
'Revue archéol.' 1883 p. 306 (Leblant) 481 59
ib. III (1846) p. 510 (Lenormant) . . . . . ib. 60
'Revue des études grecques V 1892 p. 73 (Schlumberger) 481 61—63
Rumpf in Fleckeiseni Ann. vol. 93. 1866 p. 716 . . . . . . 517 157
Stephani 'Apollon Boedromios' tab. IV 481 59
'Wiener Studien' VIII 116 (Wessely) 517 156
Iulian. or. VI p. 200b 510 142
Iustin. Martyr. dial. c. Tryph. p. 182 M. 525 176
Laert. Diogen. VI 39 . . . . 509 138
VI 50 . . . . ib. 139
Lucian. Alexand. 36 . . . . 519 159
Charon. 7 . . . . 496 104, 516
dial. meretr. IV 5 . . . . 473 17, 510 144

Marcell. de medicam. ed. Helmreich
I 54 . . . . 474 29
VIII 27 . . . . 475 35
29 . . . . ib. 36
30 . . . . ib. 37
52 . . . . 471 6
56 . . . . 530 178
57 . . . . ib. 179
58 . . . . 496 105, 516
59 . . . . 531 180
62 . . . . 472 7
64 . . . . 531 181
170 . . . . ib. 182
172 . . . . 489 94
190 . . . . 531 183
191 . 478 50, 493 101, 545, 549
192 . . . . 531 184
193 . 480 58, 486 80, 531 185
199 . 486 81, 492 100, 545, 547
X 33 . . . . 472 8
34 . . . . 491 97
35 . . . . . 479 54, 498 110
55 . . . . 531 186
56 . . . . ib. 187
69 . . . . 532 188
70 . . . . ib. 189
XI 25 . . . . 486 82
XII 24 . . . . 532 190
46 . . . . 492 99, 547
XIV 24 . . . . 532 191
26 . . . . 486 80
65 . . . . 472 9
67 . . . . . 481 64, 494 102
68 . . . . . 472 10, 487 83
XV 11 . . . . . . 476 40, 545
XV 89 . . . . 501 117
101 . . 478 51, 487 88, 545
102 . . . . 490 96
103 . . . . 474 30
105, 106 . . . . 532 192
108 . . . . 490 95, 516 151
XVIII 30 . . . . . . 479 52, 549
XX 66 . . . . 483 73
78 . . . . . . 487 84, 545
XXI 2 . . . . . . 482 66, 546
3 . 492 100, 496 107, 523 166
545
8 . . . . 532 193
XXII 9, 10 . . 472 11, 532 194
41 . . . . 483 71
XXIII 47 . . . . 474 25
68 . . . . 475 37, 487 85
70 . . . . 474 26
XXV 13 . 498 109, 525 175, 546, 549
XXVI 43 . . . . 532 195
129 . . . . 487 86
XXVIII 16 . . . . . 492 100, 545
72, 73 . . . . . 533 196
74 . . . . . . 496 107, 546
XXIX 23 . . . . 479 53
26 . . . . 533 197
35 . . . . . . 483 72, 547
45 . . . . 533 198
XXXI 33 . . . . 477 41
XXXII 18—21 . . . . . 475 38
25 . . . . 533 199
XXXVI 19 . . . . . 500 114, 546
70 . 477 42, 489 93, 546, 549

Nicolaus Myrepsus (Fabricius bibl. Graec. XIII) I 405 . 521 165, 525 177
XIV 8 . . . . . . 521 164
XXI 1 . . . . . . 540 233
Ovid. Fast. III 255 . . . . 485 77
V 433 . . . . 512 147
VI 141 . . . . 511 146
Origenes c. Cels. IV 34 . . . . 523 168
Papyrus Paris. magna ed. Wessely fol. 7v v. 467, 469, 471, 474; fol. 10v v. 821, 824, 830, 831, 832; fol. 24v v. 2145 sq. . . 517 158
Pelagon. ed. Cionius c. VII p. 39 . . . . 492 100
c. VII p. 40 . . . . 472 12
XIX p. 75 . . . . 498 112, 544
XX p. 76 . . . . 499 113
app. p. 109 . . . . 472 14
Phrynich. com. frgm. VIII (Meineke FCG. II p. 590) 513 148
S. Placitus Papyriensis (ed. Ackermann) XVII 12 . . . . . . 485 78
XVII 19 . . . . . . 475 34
Plin. Nat. hist.
XX 151 . . . . 473 18
XXI 143 . . . . 471 1
166 . . . . 473 19
176 . . . . ib. 20
XXII 38 . . . . 471 2
50 . . . . 473 21
61 . . . . 486 79
XXIII 103 . . . . 473 22
XXIV 176 . . . . 497 108
181 . . . . 474 28
XXVI 92 . . . . 508 136
116 . . . . 473 23
XXVII 100 . . . . 482 68
131 . . 478 49, 486, 549
140 . . . . 473 24
XXVIII 24 . . . . 543 243
42 . . . . 485 76
48 . . . . 475 38
86 . . . . 473 25
155 . . . . 484 74
215 . . . . 487 86
XXX 51 . . . . 474 26
101 . . . . 474 28
Ps.-Plin. ed. Rose
II 13 p. 56 . . . . 474 26
18 p. 62 . . . . 487 86
21 p. 64 . . . . 475 38
III 15 p. 89 . . . 479 56, 483 63, 523 169, 548
16 p. 90 . . . . 471 3
Pollux IX 123 . . . . 513 149
127 . . . . 514 150
Porphyrio ad Hor. art. poet. 417 . . . . 512 148
Schol. ad Arist. Aves 1297 . . . . 512 148
Seren. Sammon. v. 651 sq. 487 87
935 sq. 491 98
Suidas s. v. ἀλέκτωρ πίνει 494 103
s. v. ἐξέχειν τὸν ἥλιον 513 149
s. v. μύξος 494 103
Theocrit. II 21 . . . . 511 145
62 . . . . 511 145
Theodor. Priscian. (ed. Aldina 1547) IV p. 312v 472 8
p. 312v 476 39
p. 313r 475 38
p. 314v 479 54
Theophanus Nonnus de curat. morborum ed. Bernard II p. 307 c. 266 . . . . 478 47
Varro rer. rust. (ed. Keil.) I 2, 27 . . . . 479 55, 547
de l. l. VI 21 . . . . 488 92, 546
Vergil. ecl. VIII 68 . . . . 511 145
79 . . . . 485, 545
Zenob. prov. III 12 . . . . 508 137

Hom. Iliad. B 95 . . . . 516 152
Γ 277. . 496 105, 516
Ε 127. . 496 104, 516
291. . . . 517 157
385. . . . 517 158
387. . . . 516 154
Θ 170. . . . 516 153
424. . . . 517 158
K 193, 521, 564, 572 . . . 517 158
M 442. . . . 517 156

Hom. Od. δ 221 . . . . 517 155
λ 109 . . 496 105, 516
634 . . . . 516 151
μ 323 . . 496 105, 516
Psalm. I 3 . . . . 520 162
XXVII 1, 2 . . . 521 164
XXXIV 9 . . . . 520 161
LI 3 . . . . 522 165
Ioan. XIX 26 . . . . . . 521 163
Luc. XXIII 46 . . . . . 521 163
Matth. IX 18—22 . . . . 522 165
Verg. Aen. IV 129 . . . 502 121
XI 1 . . . 520 160

Index nominum et rerum memorabilium.

(n. significat adnotationem.)

Abracadabra 491 98.
Abraham 488 90, 522, 523 166, 551 n. 2, 552, 563.
Abraxas 481 60, 537 218, 542 240, 543.
Adam 524 173, 551 n. 2, 563.
Adonai 522 sq., 552.
Adonel 538 223.
Aesculapius 503 124—126.
Alexand. Abunotichensis 519.
alphabetaria 543.
amuleta 506 sq., 521 163, 541 234.
angelorum nomina 481 62, 63, 537 215, 538 223, 224, 558.
Anubis 506 132.
Apollo 497 108, 508 136.
aranea 487 83.
Artemis 541 236.
Athena 488 89.
aurora 502 121, 520 160.

Blasius 525 174.

caelum 500 114, 557.
cancer 481 64.
cancrini versus 530.
canis 479 54, 487 86, 556, 559, 561
cantharus 482 68, 493 101.
Cardea 511 146.
Carna 511 146.
cerea effigies 485, 511.
Charon 496 104.
Chiron 503 126.
Christus 481 63, 498 109, 525 175, 559.
Circe 496 106.
circuli XII signa 535 204.
clavi 510 144, 541 236.
coridalus 480 57, 558.
Crane 511 146.
Crates 510 142.
'credo in unum deum' 525 177, 563.
daemones morborum 476, 479, 502 120.

Democritus 502 121.
Druides 501 119.

Elisabeth 550.
Emmanuel 481 63.
Empedocles 517 155
Ephesiae litterae 508 137, 525 sq.
Epona 502 123.
Eva 563.
evocationes morborum 476 sq.

Felicitas 510 143.
ferae 475 38, 482 65, 500 115, 555.
formica 494 102, 500 115.
fumus 487 85.

Gaius Seius 475 34, 480 n. 1, 492 100, 557, 558.
Galenus de incantamentis 515.
gallus 494 103.
gallina 557.
glandula 490 96.
gnostici 515, 526, 542.
gnosticorum diagramma 480 n. 3.
Gorgo 480 sq., 490 94, 95, 516 151.

Hecate 481, 501 117.
Hercules 481, 484 n. 1, 485, 509 139, 140, 557.

hexametri 547.
hirundo 475 37, 492 99.
historiolae 495 sq.
Homeri versus 496, 514 sq.
hospites 483 69.

Iacob 482 66, 523 166, 537 218, 563.
Iao 481 59, 523 167, 537 214, 542 240.
Iesus Christus 521 163, 524 174, 525 177, 537 214, 554.
incantamenta apud Aeschylum 466.
— apud Homerum 466, 495 sq.
— a Pythagoreis adhibita 465, 515.
inscriptiones domesticae 509 sq.
Ionas 525 174.
Isaac 522, 523 166, 563.
Isis 507 133.
Iudaeorum superstitio 520 sq.
Iuno 557.
Iuppiter 501 118, 516 153, 557, 558.

Kyrani Kyranides 484, 539 227, 228.

lacerta 483 71.
laurus 508 137.
Lazarus 524 174, 550.
Lemurii 512 147.
lepus 479 54, 483 72.
Lot 523 167.
Lucifer 557.
Lucina 485 77.
ludi 512 sq.
Luna 513, 556, 558.
lupus 482 68, 487 84, 507 135, 556, 558, 564.

maleficae 500 116.
matris nomen v. quem peperit illa.
Medea 496 106.
Mercurius 496 104, 518.
metrica forma incantamentorum 544 sq.
minae 479 sq.
Minerva 497 108.
mulae partus 488 91, 493 101, 554.
mus albus 560..

Naasseni 515.
naenia 511 146.
Neptunus 557.
Nero 532 194.
Nilus 488 90.
noctuae 500 116.
nodus 475 38, 484 n. 1, 486 79.
nomen morbosi etc. 471 sq.
nomen patris et filii et spiritus sancti 525 177, 537 214, 551 sq.
nuda virgo 508 136.
numeri 490, 503 124, 542, 560.
nymphae 559.

obscenae res 507, 510.
Oceanus 502 121, 520 160.
'oratio dominica' 552 sq., 561 sq.
Orcus 488 91, 490 95, 499 112, 516 151, 554, 557.

Parcae 497.
paries 479 52, 558.
'pater noster' 525 177, 552 sq.
Perseus 480, 481 59.
Phoebus 519 159.
planetarum nomina obscura 535 204.
— signa septem 478 47.
Plato 502 121.
Poseidon 481 65.
precationes 468, 475, 485 76, 486 79, 503, 538, 553.
precatio Chrysae 518.
— omnium herbarum 505 129.
— Terrae Matris 504 128.
Proserpina 488 91, 490 95, 516 151, 554.
psalmi 520 sq.
Pythagoras 502 121.
Pythagorici 465, 515, 542.

'quem peperit illa' 474 n. 1, 477 42, 45, 483 73, 541 235.

Raphael 537 215, 563.
rana 537 216.
religio 469, 477 40.
rimi 544 sq.

Sabaoth 482 66, 522, 523 166, 167, 537 218.
sacrae scripturae loci 520, 528, 555.
sacra nomina 522, 527.
sal 478 51, 487 88, 556.
saliva 489 93.
saturnii 547.
scabies 512 148.
scorpio 484 74, 542 242, 543 243.
scrofae tres 492 100.
Siculi 501 119.
similia similibus 484 sq.
Socrates 502 121.
Sol 496 105, 499 113, 513 149, 516, 557, 559, 561.
Solomon 480 56, 481 61, 62, 520, 523 169, 541 236, 542 237.

spongia 482 67.
stupidus 492 100, 498 110, 111.

Tantalus 502 122.
teleteni 502 120.
terra 479 55, 498 109, 500 114, 502 122, 504 128.

Uriel 481 63, 563.
uva 485, 486 80, 487 83, 494 102, 557.

venenum 489 93.
verborum vis magica 465 sq.
Vergilii versus 519 sq.
Vergilianae sortes 518.
vermes 556.
Veronica 525 177.
Vertigontes 501 118.
vestigium 510 144.
viduae 475 38, 560.
vinum 482 66, 488 92.
vipera 486 81, 493, 558.
virgines tres 492 100, 496 107.
vocales septem 540 233.
vota 475 35.
vultur 552.

Zeus 516 153.
Zacharias 525 177.

Insunt:

Pag.
De usu incantamentorum 465
I. Incantamenta simplicia 471
II. Evocationes morborum 476
III. Minae 479
IV. Incantamenta quibus mala in alias res transferuntur 483
V. Similia similibus 484
VI. Ἀδύνατα 491
VII. Historiolae 495
VIII. Incantamenta quibus actio magica adiuvatur 507
IX. Incantamenta e ludis puerilibus enucleata 512
X. Versus Homerici et Vergiliani 514
XI. Loci scripturae sacrae 520
XII. Nomina sacra. 522
XIII. Ἐφέσια γράμματα 525
XIV. Numeri in incantamentis adhibiti. 542
De forma incantamentorum metrica 544
Appendix: Anecdota incantamenta nonnulla 550
Addenda et corrigenda 565
Indices 569

SPICILEGIUM CRITICUM

IN

VALERIO MAXIMO

EIUSQUE EPITOMATORIBUS

SCRIPSIT

GUILELMUS HERAEUS.

Valerii Maximi dictorum atque memorabilium libros nec ad rerum antiquitatumque inprimis Romanarum nec ad sermonis Latini cognitionem inutiles, quamvis oratione saepe ad taedium usque ampullis argutiisque onerata et obscurata, postquam primus *Carolus Kempf* a. 1854 ad artis leges recensuit fundamento usus praeter epitomatores Valerii codice Bernensi (A[1]) saec. IX longe ceteris et integriore et fideliore, non defuerunt, qui illi scriptori emendando operam navarent, vel e summorum criticorum numero, ut *Halm* et *Madvig*. Quorum ille cum iam eodem statim anno libello scholastico Monacensi inscripto 'emendationes Valerianae' plurimos locos feliciter correxisset aut suo ingenio aut Paridis compendio usus, quem emendationis fontem Kempf non plane exhauserat, duodecim post annis ipse quoque Valerii editionem exhibuit Bernensi libro diligentius, quam a Kempfio factum ei videbatur, collato; hic vir immortalis memoriae in 'adversariis criticis' a. 1871 et 1873 (vol. I passim, II p. 313—335) longe plurimos, quos aggressus est et quidem ex parte primus, locos Valerii evidenter ac sagaciter emendavit. Iam abhinc triennium Kempf iteratis curis Valerium edidit[2]), variis subsidiis usus, primum libro Bernensi denuo ipse excusso, quo patet Halmium nec omnia merito olim obiecisse Kempfio nec ipsum ubique recte illius codicis scripturas enotasse; deinde novum subsidium criticum accesserat ex libro antiquo (ut videtur saec. IX) bibliothecae Ashburnhamensis, nunc Laurentianae (L), a Brunone Keilio collato in usum editoris, qui recte de ratione, quae inter eum et Bernensem intercedat, sic iudicat neutrum esse parentem alterius, sed utrumque vel in minutis rebus adeo similem alterius, ut ex eadem stirpe et genere orti 'fratres paene gemelli' (praef. p. XXVI) sint habendi, neutrius tamen horum codicum testimonio in restituendis Valerii libris careri posse, cum suas quisque lectiones bonas et interpolationes

---

1) Quam notam ab Halmio postea B mutatam retinuimus.

2) Dolendum est tot typothetarum vitia in textu remansisse, saepius cum magno legentium incommodo, quorum partem editor in calce libri corrigi iussit, alia reliquit. Corrige igitur praeterea p. 33, 16 *infantiaeque,* 42, 5 *liberatum,* 56, 25 *cruore,* 199, 21 *tumulo,* 237, 10 *procella,* 279, 25 *de tuo,* 323, 24 *vastari agros,* 360, 15 *adflata,* 407, 4 *apparuit,* 438, 2 *exprobrare,* 442, 26 *divinum aemulatus,* 463, 24 *opprobrium,* 467, 20 *familiae,* 488, 17 *genero,* 515, 23 *districtus,* 516, 12 *pediculo,* 532, 3 *institutum,* 536, 27 *Gallos,* 557, 4 *Magni,* l. 32 *iunctus,* 596, 21 *vacuavit,* 598, 15 *tristi,* 614, 24 *filiis Bruti.*

habeat peculiares. Denique adiutus est in Valerii verbis emendatius constituendis utili studio, quod post Halmii et Madvigii curas praeter ipsum optime virum meritum in primis M. Cl. *Gertz* et H. *Wensky* in illa re collocaverunt. Quorum ille, doctus Madvigii discipulus, cum magnam copiam locorum in 'symbolis criticis ad Valerium Maximum' (Tidskrift for Philologi og Paedagogik 1873 p. 260—299) ingeniose tractavisset longeque plurimis novam lucem attulisset, alteram segetem emendationum non minus praeclaram[1]) in usum ac decus novae editionis Kempfio liberaliter permisit; hic praematuro nuper fato abreptus in libello scholastico Vratislaviensi 1879 'coniectanea in Val. Maximum' et in novis annalibus philologicis a. 1883 p. 637—641 et 1884 p. 777—792 multa egregie correxit. Qua condicione iteratae recensionis Kempfianae allectus ad repetendam Valerii lectionem cum multa, quae ipse solo Halmii exemplo usus annotaveram, proximis his annis a viris doctis praeoccupata esse nec tamen pauca restare viderem, quae aut rectius constituisse aut aliquo iure ab illorum suspicionibus vindicare posse mihi videbar, uberiore disputatione ea omnia persequi constituimus. Quam nunc proponimus, si forte contigerit etiam post tot virorum ingeniosorum operam aliquid ad crisin Valerianam utiliter contulisse.

1, 1, 17 (cum Potitii sacerdotium Herculis genti suae hereditarium ad servorum publicorum[2]) ministerium retulissent *omnes, qui erant numero super XXX, puberes intra annum extincti sunt nomenque Potitium in XII familias divisum* †*p r o p e interiit, Appius vero luminibus captus est.* Quam vocem Kempf infelici cruce insignivit, in ea Torrenius primus merito offendit, si quidem totam Potitiorum

1) Velut 9, 8, 2 *flumine Aoo* (codd. *ac*, quod vulgo abicitur), 8, 7 ext. 3 *et fusam Maream* (codd. *effusam barbariam*), 9, 2 ext. 2 *ima pedum parte* (codd. Val. *iam prima pedum p.*, Paris *iam pedum p.*), 9, 15, 1 *extudit* (codd. *ita se extulit*; cf. 3, 4, 4. 5, 2, 10), 3, 4 ext. 2 *quem patrem Euripides aut quam matrem Demosthenes habuerit* (codd. *quam matrem E. aut quem patrem D.*): hoc tamen praecepit coniectura fusiusque exposuit Bergk libello academico Halensi a. 1868, quo ad orationem latinam beneficii Marschalliani lege habendam invitabat. Cuius emendationes cum editorem alioquin circumspectissimum fugisse videantur, liceat breviter enumerare: 1, 7 ext. 10 *pestifero deinde fato iuvenis* ⟨*cum omnia circa eam quieta vidisset*⟩ *humanissimum propositum tamquam supervacuum damnavit* (ex Paride supplementa petivit), 3, 7 ext. 1 *Acestori* (pro *Alcestidi*), quod nuper Sittl quoque proposuit hist. litt. gr. III p. 499 n.; 4, 6 ext. 3 *a Pelasgis expulsi Tyrrenis* (pro *armis*), quod iam Halm em. Val. p. 24 proposuerat, sed ipse sprevit in editione sua nec Kempf memoravit. De aliis duabus Bergkii coniecturis (3, 2 ext. 4 et 5, 10, 1) suis locis infra disputabitur nec non de Krafferti suspicionibus insertis libello scholastico Verdensi a. 1888, quem cognitum habere Kempf non poterat.

2) *Publicorum* post *servorum* Valerio Maximo iure reddidit Kempf e Paride et Nepotiano, collatis etiam Liv. 9, 29, 9. Lact. II, 7 p. 81 Fr., Fest. s. v. *Potitium* p. 237 M., quibus testimoniis addo Asperum ap. Macr. sat. 3, 6: *Potitiorum, qui ab Appio Claudio praemio corrupti sacra servis publicis prodiderunt*, Dion. antiqu. Rom. 1, 40, 5 νῦν δὲ παῖδες ἐκ τοῦ δημοσίου ὠνητοὶ δρῶσιν αὐτὰς (τὰς ἱερουργίας).

gentem radicitus extinctam esse ceteri scriptores consensu tradunt, praesertim Livius 9, 29, 10, e quo sua hausisse Valerium certum est.[1]) Sed quod *propere* lectionem cuiusdam cod. Barberini probavit, valde languet, nec magis placet quod in nupera editione Kempf proposuit *eo tempore*, nimis etiam recedens a traditis litteris. Emendatio ex ipso fonte Valerii sumi potuit, in quo l. c. haec leguntur: *traditur inde ... cum duodecim familiae ea tempestate Potitiorum essent, puberes ad triginta, omnis intra annum cum stirpe exstinctos esse.* Similiter Valerius 8, 11 ext. 4 *Seianum omni cum stirpe sua populi Romani viribus obtritum*, Vergilius Aen. 4, 605 Didonem loquentem facit: *natumque patremque* (Iulum et Aeneam) *cum genere extinxem*, quod non intellegunt, qui interpretantur 'cum omnibus Troianis'. Etiam *a stirpe* rectum est, sicut dicit in eodem argumento Livius 9, 34, 19 *gens antiquior originibus urbis huius ... intra annum a stirpe extincta est*, similiter 34, 2, 3 *equidem fabulam ducebam esse virorum omne genus in aliqua insula coniuratione muliebri a stirpe sublatum esse*, Sallustius Cat. 10, 2 *Carthago, aemula Romani imperii, a stirpe interiit.* Denique cf. Caesaris b. g. 6, 34, 8 verba *ut pro tanto facinore stirps ac nomen civitatis tollatur.*

1, 1 ext. 5 (de Masinissa dona sibi allata, postquam sacrilega cognovit, fano Iunonis restituente) *factum ⟨magis⟩ Masinissae animo quam Punico sanguini conveniens.* Eam licentiam, qua *magis* s. *potius* omittitur, ferri in hac verborum iunctura posse cum persuadere sibi non possent, et olim ex dett. codd. *magis* vel *plus* inseruerunt editores ante *quam*, et nunc Kempf suadente Gertzio ante *Masinissae*, quod magis ex arte erat propter facilitatem omissionis, Halm denique alia ratione usus *convenientius* pro *conveniens* (em. Valer. p. 19) maluit. Nobis tolerari posse videtur codicum lectio comparantibus verba Taciti hist. 4, 83 *sed Ptolemaeus ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum appetens neglegere paulatim aliasque ad curas*

---

1) Quod Mommsen (de collegiis ac sodaliciis p. 13) collato Festo p. 237 M. s. v. *Potitium (cum essent ex familia numero duodecim, omnes interierunt intra diem XXX.)* iudicat Livium aut scripsisse aut scribere debuisse *cum duodecim familiae* (gen. sing.) *ea tempestate Potitiorum essent puberes, a. d. XXX. omnes intra annum cum stirpe extinctos esse:* recte alii obiecerunt Valerium certe, qui decem fere annis post Livii obitum scripsit, idem quod nos in exemplari suo Liviano legisse. Accedit, quod Mommseni scriptura et collocationem verborum contortam habet et verba *intra annum* post *a. d. XXX.* supervacua. Occasione data Valerii Maximi contextu tutari liceat alterum locum Livianum 35, 21, 4 *nuntiatum est .... consulis Cn. Domitii bovem locutum 'Roma, cave tibi'*, ubi cum nusquam alibi Livius in hoc prodigii genere ascripserit, cuius bos esset, nuper Madvig in ed. II (1884) eorum librorum praef. XVI 'valde vereor', inquit, 'ne verba *consulis Cn. Domitii* errore irrepserint ex adnotatione marginali; etsi leguntur etiam in periocha': addere debuit, quod plus est, etiam in Valerii Maximi l. 1, 6, 5 idem inveniri. Quare nobis quidem religiosum est, mendum antiquissimum statuendo in his quicquam movere. Alia exempla eius rei dedit Koehler in libello inscripto 'qua ratione T. Livii annalibus usi sunt historici latini' (Gotting. 1860).

animum vertere et Livii 3, 40, 2 *oratio fuit precibus quam iurgio similis,* quamquam hoc loco nuper *similior* edi coeptum est Madvigio (em. Liv. p. 97[2]) coniecturam editionis Ascensianae commendante. Attendendum autem videtur his tribus locis adiectivum ubique pone collocatum: nam in hoc ordine ferri posse positivum gradum nos quidem persentiscimus, non in alio, e. g. *factum Masinissae animo conveniens quam P. sanguini.*

1, 5 ext. 2 (Apolloniatae Illyrico bello pressi ab Epidamniis flumine Aeante in adiutorium misso) *ex insperato superatis hostibus successum suum omini*[1]) *acceptum referentes et tunc Aeanti ut deo immolaverunt et deinceps omnibus proeliis duce* u t i *instituerunt.* Ex eis, quae Paris epitomator habet *omine accepto Apolloniatae deo* v e l u t i *duce* p r a e s e n t i *usi vicerunt* (nam sic corruptam codicis scripturam *praesentius vic.* certa emendatione Kempf sanavit) suspicor in Valerii codicum archetypo post *uti* per ὁμοιοτέλευτον interisse verba ⟨*velut praesenti*⟩ idque eo magis, quod Bernensis codex verba inde a *duce* in rasura habet.

1, 6 ext. 1 *claudatur hoc exemplo talium ostentorum domestica relatio, ne, si ulterius Romana adprehendero, e caelesti templo ad privatas domos non †consentaneos usus transtulisse videar.* Verba *non consentaneos usus transtulisse* corrupta esse hodie inter omnes convenit. Sed longum est recensere virorum doctorum conamina, quae plene exhibet Kempf l. l. Nobis ea emendandi via, quam Novák in 'listy filologické a paedagogické' XI (1884) p. 2 ingressus est, maxime probabilis visa est, cuius emendationem *non consentaneo usu transiluisse* ita absolvimus, ut scribamus *non consentaneo* ⟨*usu r*⟩*usus transiluisse,* h. e. *non c. usu resiluisse,* nam *rursus* vel aliam eiusmodi notionem aegre desiderari putamus.

Quod sequitur exemplum duobus locis depravatum est in codicibus, qui haec habent: *in exercitu Xerxis, quem †adversus* p r o v i n c i a m *Graeciam contraxerat, equae partu leporem editum constat. quo genere monstri tanti apparatus significatus est eventus: nam qui mare classibus, terram pedestri *** et fugax animal pavido regressu regnum suum repetere est coactus.* Primum cum semper haesissem in *provincia Graecia,* suspicatus *adversus* p a r v a m *Graeciam* scribendum esse, nunc video iam Wenskyum (coniectanea in Val. Max., progr. Vratisl. a. 1879 p. II) illis verbis offensum *adversus Ionum vindicem Graeciae* proposuisse, nuper Kempfium *ad subiciendam Graeciam,*

1) In Bernensis codicis lectione *omen in* ne quis aliud latere putet, moneo mendum natum esse ex vetere scriptura *omeni*, ut Liv. 3, 39, 4 codicum lectiones *nomen is* s. *nomen his* originem habent in archetypi scriptura *nomenis* pro *nominis*: contrarie Bongarsius verissime ex Guelferbytano quodam codice correxit Iust. 12, 4, 1 *patriae nomine iuraret* in *p. nomen eiuraret* (dett. *nomen abiuraret;* cf. Tac. h. 4, 29 *eiurare patriam*). Alia et quidem plura exempla eius generis mendi dedi 'quaestiones criticae et palaeographicae de vetustissimis codd. Livianis' (diss. inaug. Berol. 1885) p. 27 sq.

utrumque iusto longius a tradita lectione recedentem. Nobis nunc quoque *parva Graecia* non inepte dici videtur, ut tacite oppositum habeat tantum apparatum infra a Valerio commemoratum, et simplicissime explicatur codicum vitium compendiosa scriptura *p̆ua*[1]), simillima notae *ꝓũa* (i. e. *provincia*), quae saepius occurrit in Bernensi libro, velut 4, 1, 15, minus accurate *p̃ua* 2, 9, 3 et *p̃uac* 3, 7, 1 (cf. Halmii praef. XIX). — In sequentibus manifestum orationis hiatum varie explerunt librarii et critici: codex Reginensis n. 766 *pedestri ⟨exercitu operuerat⟩, ut fugax* cet., post superiorum conamina, quae vide in Kempfii editione recenti, Novák listy X p. 396 *pedestri ⟨exercitu contexerat⟩, ut fugax* cet., Kempf in ed. nuper *pedestri ⟨et equestri exercitu operuerat, ut imbecillum⟩ et fugax* cet. Sed pro *contegendi, operiendi* verbis paene certum mihi est dedisse Valerium quod proprium in hac re ponitur: *maria classibus . . . constraverat,* cf. Liv. 45, 49, 5 *rex contra peditum equitumque nubes iactat* et *consternit maria classibus,* Iuv. 10, 175 de eodem Xerxe *constratum*[2]) *classibus isdem suppositumque rotis solidum mare,* Curt. 9, 6 (24), 7 *quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos, impleat armis virisque totum orbem, classibus maria consternat: tu nos praestabis invictos,* ib. 9, 8 (30), 5 *ut videre totum amnem . . . navigiis constratum,* Sil. It. 1, 125 *Aetolos late consterni milite campos.* De reliquo supplemento nihil affirmo, probabilis tamen in universum Kempfii ratio, nisi quod *exercitu* singulari numero minus nobis placet quam velut *acie.*

Ib. 1, 6 ext. 1 *qua de re* (de vino in patera Xerxi ter in sanguinem converso) *consulti magi monuerunt, ut se ab incepto proposito abstineret: et si quod vestigium in vaecordi pectore sensus fuisset,* * * * *ante de Leonida et †a Caesare Spartanis abunde monitum.* Defectum orationis post *fuisset* recentiores librarii sarciebant inserto *cavere potuisset,* Foertsch *fecisset,* melius aliquanto Halm (em. Val. p. 20) *abstinuisset,* omnes ita, ut necesse habeant etiam extremae vocis *monitum* casum in nominativum convertere: quare probabilius, puto, inseretur *eum revocavisset* s. *retinuisset* s. *inhibuisset* sc. quantuluscumque sensus (cf. 2, 9, 3 *et poterat inhiberi respectu consulatus* cet.). De reliquis emendandis paene desperaverunt critici. Halm Torrenium secutus edidit *ante a Leonida et a* (praepositionem de suo adiecit Halm) *CCC eius Spartanis abunde monitus,* audacius

1) Quo nomine bene emendavit Kempf 2, 7, 9 *magnum profecto dedecus patriae pari (p̆i) sontium dedecore vindicatum est* pro eo, quod in Bern. est *patriae pisonium* (Laurentianus liber: *pariae pisonu**), potuitque similem locum afferre 4, 1, 6 *maxima eius merita paribus ornamentis decorare conati sunt.*

2) Codex optimus Pithoeanus *constractum* exhibet rasa *c* littera, reliquorum codicum pars quod aliis quoque de causis improbandum est *cum stratum,* usitato errore, de quo dixi 'quaestiones criticae' cet. p. 65 sq. Hoc frustra commendare studuit O. Kjaer 'sermo Iuvenalis' cet. Hauniae 1875 p. 89, de ponte in Hellesponto iuncto agi praesumens.

Wensky nov. ann. phil. 1883 p. 637 nihil deesse post *fuisset* censens: *ante de Leonidae crederes pertinacia abunde monitum,* Novák *ante a Leonida ut caveret Spartanos ab. monitus,* ut ab aliis tentata omittam. Ne longus fiam, Torrenii emendatio in universum vera nobis videtur, nisi quod nec *de* praepositionem praeter necessitatem in *a* mutare[1]), ut iure monuit Kempf, novae quaest. Valer. (progr. gymn. Leucophaei Berolin. a. 1866) p. 24, nec *CCC eius,* quod ne litterarum quidem similitudine (codd. *a caesare*) commendatur, sed tantum *CCC* scribere debuit. Nam non solum ipsa re commendantur illa *de Leonida et CCC Spartanis* (cf. 3, 2 ext. 3 *Leonidas cum CCC civibus apud Thermopylas toti Asiae obiectus*), sed probabiliter etiam inde originem vitiosae codicum scripturae repeti posse puto. Nimirum numeri nota *CCC* sive $\overline{CCC}$ in minuscula scriptura speciem praebuit librario tamquam *a* $\bar{c}$. significaretur, quod deinde inepte, ut fit in talibus, explicatum est *a Caesare* (nam *Caesar* hic illic per *C.* notatum esse apparet e. g. ex corruptela *gaius* pro *Caesar* in Nazariano Flori p. 123, 17 Iahn, et inveniuntur aliae notae singulares praeter communes in Valerii codicibus, ut · *a* · = *Augustus* 7, 7, 3 et 4). Eidem numero accidit infra 7, 3, 3, ut in codice C apud Kempfium ed. mai. fieret *catos* (scilicet in archetypo erat *CCC*^{tos}, ut in LA 3, 7, 10 *XXX*^{ta} = *triginta*, 2, 7, 15 *l. nos* = *quinquagenos*), unde interpolatum est in cod. F *creatos (c'atos)*, in E *ad se vocatos,* ita ut ante Pighium utrumque coniunctum ederetur *trecentos ad se vocatos:* luculentissimum latius ac latius serpentis interpolationis exemplum. Similiter Liv. 10, 31, 4 in Leid. sec. legitur *coctis* pro *trecentis* (cf. meas quaestt. critt. p. 52 sqq.). Itaque frustra aliud quaeri puto in verbis *a Caesare* atque numerum *CCC* totumque locum sic fere refingendum: *si quod vestigium in vaecordi pectore sensus fuisset, ⟨eum retinuisset⟩ ante de Leonida et CCC Spartanis abunde monitum.*

1, 7, 2 †*non est inter patrem* (divum Iulium) *et filium* (Augustum) *ullius rei comparationem fieri praesertim divinitatis fastigio iunctos, sed iam alter operibus suis aditum sibi ad caelum struxerat, alteri longus adhuc terrestrium virtutum orbis restabat.* Initio post negationem addunt *operae* Pighius, *fas* vel *opus* Madvig II, 315, Kempf nov. ann. phil. 1886 p. 57 proposuit *non ⟨inter⟩est.* Magis e Valeriana consuetudine est *no⟨n atti⟩net,* v. locum simillimum 2, 7, 12 *non prosequar hoc factum ulterius, et quia Scipionis est et quia Romano sanguini quamvis merito perpesso servile supplicium insultare non adtinet, cum praesertim transire ad ea liceat, quae sine domestico vulnere gesta narrari possunt;* 4, 4, 1 *non adtinet ulteriore*

1) Seneca ben. 6, 31 Demaratum exsulem Lacedaemonium fingit praedicentem ante bellum Xerxi de Leonida et trecentis eius civibus apud Thermopylas obstantibus (§ 11 *acciderunt, quae Demaratus praedixerat*). Herodotus VII 101—104 in universum tantum Demaratum de fortitudine pertinaciaque Laconum monentem facit.

disputatione tanti viri paupertatem scrutari; 2, 6, 7 (p. 77, 20 Kempf) *quid attinet aut humano dolori indulgeri aut divino numini invidiam fieri* cet.; 9, 12 prooem.; 9, 12, 8 *quorsum attinet eorum cavillari fata* cet.; 1, 1 ext. 3. 4, 4 in. — Alterum mendum infra detexit Wensky nov. ann. 1884 p. 779. *Orbis* enim *virtutum* pro *serie v.* ut accipiatur notio vocabuli *orbis* non admittit, nedum *longus orbis* recte dicatur, cum sit contradictio in adiecto, quam vocant. Sed quod W. proposuit *longus . . . actus* nec litterarum respectum habet nec vox defenditur ascripto loco 3, 2, 20 *ut ad humanae virtutis actum transgrediamur*, ubi de uno actu agitur. Scripsitne Valerius *ordo?* Cf. Liv. 2, 12, 10 *longus post me ordo est idem petentium decus* (Scaevola Porsennae respondet), Iuv. 3, 284 *comitum longissimus ordo,* Sen. ep. 90, 8 *longus vehiculorum ordo.* — Denique *aditum sibi ... struxerat* pro *instruxerat* (codd.)[1]) ex Kellerbaueri coniectura Halm et Kempf edidere collatis locis Taciti hist. 3, 49 *omnibus dictis factisque viam*[2]) *sibi ad potentiam struere* et Valerii Maximi 5, 4, 1 *frequenter fusis exercitibus nostris victoriarum suarum gradibus aditum iuxta moenia urbis Volsco militi struxit.* Addo Senecae de clem. 1, 3, 3 *paratissimi substernere corpora sua, si per stragem illi* (principi) *humanum iter ad salutem struendum sit* et Val. 6, 9, 15 *C. Caesar, cuius virtutes aditum sibi in caelum struxerunt:* nam A *instruxerunt* m. 2 punct. *in* exhibet (L: *instrux.*). Moneo tamen etiamnunc sine cuiusquam offensa legi Plin. pan. 75, 5 *non instruendum illis* (principibus) *iter ad bonam famam.* Ex altera autem parte concedendum est reputanti notam illam *i* vocalis ante *s* impurum prothesim (cf. Vahlen, M. Rh. XI p. 589 n.), admodum levem esse in talibus librorum auctoritatem, quo nomine recte Novák (et ante eum Vahlen l. c.) 4, 7 ext. 2 Bernensis lectionem *instatura* correxit *quia et statura et forma praestabat,* quae coniectura nunc confirmatur codice Laurentiano.

1, 7 ext. 4 *pertinax casus imminentis violentia* pro *violentiae* iure edidit Kempf ex coniectura Madvigii (adv. crit. I, 58), qui poterat apte comparare ex hoc capite 7 § 6 *imminentis casus atrocitas,* § 1 *fortunae violentia,* 7, 6, 1 *quanta violentia est casus acerbi.*

1, 7 ext. 3 *memor autem beneficii elegantissimo carmine *** aeternitati consecravit, melius illi et diuturnius in animis hominum sepulcrum constituens quam in desertis et ignotis harenis struxerat* (Simonides). Haec verba obiectum verbi *consecrandi* desiderantes alii aliter emendabant, Gudius *memoriam* pro *memor* scribendo (cf. tamen 5, 2, 1 *memorem beneficii animum*), Gertz *auctorem* ante *aeternitati* inserendo; Halm potius *id* (*beneficium*) cogitatione supplendum

---

1) Quod Gertz per litteras Kempfio indicavit sibi scribendum videri *iam struxerat,* propius scilicet ad codices accessurus, errori mero tribuendum videtur, siquidem non animadversum est v. d. *iam* particulam in eiusdem sententiae ambitu antecedere.

2) Medicei mendum *vim* ita correxit Lipsius; cf. praeter locos supra exscriptos hist. 2, 95 *unum ad potentiam iter.*

censet, quod nobis non tam dure fieri videtur. Utut id est, non necesse est *quod* post *quam* addere, quod Kraffert progr. Verdensi a. 1888 p. 3 proposuit. Sic Livius relativum omisit 3, 50, 2 *ibi Verginius maiorem, quam reliquerat in urbe, motum excivit* (contra 29, 28, 4 *urbibus ipsis maiorem quam quem secum attulerant, terrorem inferebant*), 25, 6, 15 *nunc deteriore condicione sumus, quam apud patres nostros fuerunt captivi;* 3, 16, 5 *maiore quam venerint silentio abituros,* 5, 12, 7 *seditio intestina maiore mole coorta, quam tractabantur* (contra 1, 38, 5 *maiore inde animo pacis opera incohata, quam quanta mole gesserant bella*). Itaque vix recte Caes. b. c. 2, 4, 3 nuperus editor Paul scripsit *non minore animo ac fiducia, quam* ⟨*qua*⟩ *ante dimicaverant, naves conscendunt* aut olim Halm Vell. 2, 43, 3 *maior favor quam* ⟨*qui*⟩ *reis praestari solet.*

1, 8 ext. 12 *Prusiae regis Bithyniae filius . . . pro superiore ordine dentium unum os aequaliter extentum habuit neque ad speciem deforme neque ad usum ulla ex parte incommodum.* Kraffert l. c. 'der zweifellose Sinn der Stelle zeigt, dafs *unum* (sc. dentem) ⟨*per*⟩ *os* zu lesen ist, ebenso in dem Auszug des Paris'. Egregie fallitur vir doctus neglecto fonte Valerii, qui haud dubie Livii liber L. est, in cuius epitome leguntur haec: *Prusias . . . habebat alterum filium, qui pro superiore ordine dentium enatum habuisse unum os continens dicitur.* Nec aliter Plin. n. h. 7, 16 (15), 69 *aliqui vice dentium continuo osse gignuntur, sicuti Prusiae regis Bithynorum filius superna parte oris* (quae Solinus 1, 70 fere exscripsit) aut Fest. s. v. *monodus: monodus appellatus est Prusiae filius, qui unum os habuit dentium loco.*

2, 1, 6 *dea nomen hoc* (Viriplacae) *a placandis viris fertur adsecuta, veneranda quidem et nescio an praecipuis et exquisitis sacrificiis colenda utpote cotidianae ac domesticae pacis custos, in pari iugo caritatis ipsa sui appellatione virorum maiestati debitum a feminis reddens honorem. In pari iugo* Halm et Kempf ediderunt Bernensem librum secuti, dett. codd. fere *in quo pari i.* habent, quod nuper etiam e Laurentiano prolatum est. Unde illud *quo* ortum sit, cum non facile explicetur, vix recte plane abicitur, quare Br. Keil et Novák *inque pari iugo* proposuerunt, ut iam Perizonius. Magis nobis arridet omissa a Kempfio coniectura Vahleni (M. Rh. XI p. 587) *in compari (cōpari) iugo* coll. Liv. 1, 9, 5 *id demum compar conubium fore* scribentis monentisque de frequenti *c* et *qu* litterarum permutatione 7, 8, 4 A m. 1 *quo arguendam* = *coarg.* Addo 6, 1, 6 A[1]: *quoinquinaverat*, 7, 4, 3 L *quaeplerunt* i. e. *quaeplerunt* pro *coeperunt* (cf. Liv. 22, 3, 14 Put. *quoepit* pro *coepit* et Iuv. 7, 239 Pith. *quetus* pro *coetus*), 2, 7, 10 L[1]A[1] *loqui* pro *loci;* plura exempla congessi quaestt. critt. p. 69, etiam ex titulis, ut C. I. L. X, 1365 *quopiosa* = *copiosa,* IV, 1241 *Secundus quoservis salutem* (= *conservis*). Denique adiectivum *compar* non nimis sane usu frequentatum praeterquam a Livio, a Valerio non prorsus alienum esse monstrat 9, 14 ext. 2 *ita liniamentis oris et omnium membrorum compares erant.*

2, 2, 5 *finem profecto fruendarum opum, quibus ad invidiam diu abundaveras, Tarentina civitas, quaesisti.* Quod margo A praebet *ad invidiam usque* negari non potest magis Valerianum esse, cf. 1, 6, 12 *ornamenta, quae ab ineunte adolescentia ad invidiam usque contraxerat*, 6, 9 ext. 5 *ad invidiam usque Polycratis tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitae fulgor excessit* (Sen. ep. 120, 21 *dilatat se usque ad invidiam*, Petron. c. 11 *fruor votis usque ad invidiam felicibus*); 9, 8, 2 *Atheniensium civitas ad vesaniam usque temeraria*, 6, 5 ext. 5 *ad vim et cruorem usque seditiosas contiones*, 2, 4, 5 in. *duobus filiis et filia ad desperationem usque medicorum laborantibus*; 1, 8, 8 *ad deos usque cavillandos dementis animi iusta supplicia pependit*, 5, 10, 2 *qui ad donandos usque liberos abundaverat*; 9, 4, 3 *in has usque iacentis iniurias fames scelerata eius esurire non debuit.* — In antecedentibus quam recte cum Pighio ex codd. Campensi et Gemblacensi scribatur *insitusque pectoribus eorum antiqui moris respectus* (LA[1]: *intusque*, A[2]: *intimusque*), docent hi loci: 5, 5, 3 *tantum amorem princeps parensque noster insitum animo fratris Drusi habuit*, 6, 3, 1c *quantum odii adversus hostes libertatis insitum animis antiqui haberent* cet.

2, 6, 7 *eadem civitas* (Massiliensium) *severitatis custos acerrima est, nullum aditum in scaenam mimis dando, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat.* Extremam vocem Gertz litteris ad Kempfium datis *insinuet* mutari iubet. Sed tradita verba apte sic explicare licet: *ne talia spectare sueti imitandi licentiam sibi sumant.* Prorsus eodem modo Valerius 3, 7 in. *sed haec atque his similia virtutis aliquid sibi in consuetudine novanda licentiae sumentis indicia sunt*, ubi quidem paulo durius abstractum (*virtus*) pro concreto posuit. *Licentiam sumere* dixit etiam Livius 6, 40, 7 *tribunos tantum licentiae novem annis, quibus regnent, sumpsisse*, verbum *sumendi* similiter Valerius 3, 6, 1 *quia vegeta et strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt:* nam aut *recessus sumunt* cum Madvigio (adv. crit. II, 319 n. 2) et Kempfio ex dett. codd. pro lectione codicum LA *recessui* reponendum aut *recessus sibi sumunt*, ut vitium ortum esse existimandum sit ex scriptura *recessussiui;* cf. praeter locum 3, 7 in. supra ascriptum 9, 11 ext. 4 *torporem sibi permisit.*

2, 6, 12 *removeatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo vitae, quae multa et facere et pati turpiter cogit, si ortu eius aliquanto felicior ac beatior finis reperietur.* Pro eo quod est in LA: *si ea mortua eius* Kempf *si ortu eius* scripsit ex Perizonii coniectura, cuius alteram *si iam ortu eius* receptam ab Halmio recte latinam esse negat; Eberhard in censura editionis Halmianae (Zeitschr. f. Gymn. 1866 p. 161) *si quidem iam ortu eius* temptavit longius a traditis litteris recedens. In Perizonii scriptura quod omnino abiciuntur litterae *eam*, ratio originis mendi haud facile quis reddat. Equidem dubi-

tanter propono: *si exortu eius.* Eodem mendo Varr. r. r. 2, 5, 13 in archetypo erat *a dulpini camortu* pro *a delphini exortu,* ut docet Plin. n. h. 8, 177; Liv. 30, 39, 2 in Colbertino legitur *eam saeviret* pro *exsaeviret*; cf. de communi litterarum *a* et *x* permutatione nostras quaestt. critt. p. 96 sq.

2, 7, 15 *parem iram senatus adversus illos destrinxit, qui apud Cannas rem publicam deseruerant: nam cum eos gravitate decreti ultra mortuorum condicionem relegasset, acceptis a M. Marcello litteris . . . rescripsit indignos esse, qui in castra reciperentur.* In his *mortuorum* et olim dubitationem movit, ut Aldus ederet *mortalium*, Perizonius *Martiorum* 'i. e. militum' dubitanter proponeret, et nuper Gertz l. c. p. 267: 'Quid sit, inquit, aliquem *ultra* mortuorum condicionem relegare, ego equidem non intellego, vereor ut quisquam intellegat. Videlicet scribendum est: *intra mortuorum condicionem relegasset,* id est, *mortuorum loco eos haberi iussisset,* sicut dicit epitomator Iulius Paris.' Immemores erant viri docti Ciceronis p. red. ad Quir. 4, 10 dicentis *cum is inimicus, qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus praebuisset, spiritu dumtaxat viveret, re quidem infra omnes mortuos amandatus esset,* iterum p. Quinct. 15, 49 *cuius vero bona venierunt, cuius non modo illae amplissimae fortunae, sed etiam victus vestitusque necessarius sub praeconem cum dedecore subiectus est, is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur.* Itaque hoc vult dicere hyperbolice Valerius: peiore etiam loco milites Cannenses habitos ipsis mortuis idque unum mihi quaeritur, scripseritne *infra* ut Cicero, unde locutionem mutuatum esse illum nobis quidem certum est. Eandem praepositionem recte meo iudicio pro *intra* poni iusserunt Gelbcke quaest. Valer. Berol. 1865 p. 35 et Eberhard l. c. 157 loco Valeriano qui est 9, 1, 8 *Gemellus tribunicius viator, ingenui sanguinis, sed officii intra servilem habitum deformis,* quod nihil aliud significare potest nisi Gemelli obsequium (id enim valet vox *officium*, non *ministerium*[1])) se intra servilem modum tenuisse, cum sententia flagitet contrarium: *obsequium plus quam servile.* De locutione comparari poterant verba Vellei 2, 83, 1 de Planco: *humillimus adsentator reginae et infra servos cliens.*

2, 10, 1 *qui* (Metellus) *cum causam repetundarum diceret tabulaeque eius ab accusatore expostulatae ad nomen inspiciendum circa iudices ferrentur, totum consilium ab earum contemplatione oculos avertit, ne de aliqua re, quae in his relatae erant, videretur dubitasse.* Ante Kempfium vulgabatur inde a Torrenio *quae . . . relata erat* oratione simpliciore quam ea, quam Kempf primus ex libris mss. reduxit *quae . . . relatae erant.* Sed quae eius scripturae tuendae causa exempla ascripsit vir doctus adn. ad 1, 7 ext. 9 in ed. mai., non

1) Prave Hoffmann vertit: '*ein Freigeborener, dem jedoch sein niedriges Geschäft seine Stelle unter den Sklaven anwies.*'

prorsus eiusdem generis sunt[1]), velut Liv. 23, 15, 4 *praemia atque honores* (eis) *qui remanere ac secum militare voluissent proposuit,* de quo genere omissionis Nipperdey ad Nep. Dion. 9, 5 copiose[2]) disputavit. Equidem unum locum novi similem Livii 38, 16, 1, si is recte ex Bambergensi (nam de Moguntino parum constat) hodie sic editur: *Galli nullam gentem, per quas* (*quam* rell. codd.) *ituri essent, parem armis rati,* ubi ne verbo quidem miram structuram Weissenborn attigit. Vulgarem dicendi morem sequitur Valerius 6, 2, 12 *de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant.*

2, 10, 5 *cui* (P. Rutilio in exsilium acto) *Asiam petenti omnes provinciae illius civitates legatos secessum eius opperientes obviam miserunt.* Iure offendit Gertz 'symbolae criticae ad Val. Max.' in tidskrift for philologi og paedagogik 1873 p. 270 in verbo *opperientes,* quod vulgatur, cum codd. L[1] A[1] *operientes* habeant. Illud Valerium non scripsisse certum mihi efficit Iulius Paris, qui verba Valerii ita reddidit *omnes civitates totius Asiae legatos obviam miserunt, sibi quaeque tanti viri praeripientes secessum* (codex *discessum;* em. Gertz e Val.). Sed quod Gertz proposuit *secessum ei aperientes* vel *offerentes* Paridis verborum rationem non habent, quae mihi singularem aliquam locutionem Valerii indicare videntur, quam epitomator plurium verborum ambitu enuntiare maluit. Quidsi posuerit Valerius verbum *diripientes,* quod eadem imagine dici qua nostrum '*sich um etwas reifsen*' notum est e vita Persii s. f. *editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt,* Stat. silv. 5, 3, 130 *Maeoniden aliaeque aliis natalis urbes diripiunt cunctaeque probant,* Sen. de ira 3, 23, 5 *postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinii consenuit totaque civitate direptus est: nullum illi limen praeclusa Caesaris domus abstulit,* Iuv. 6, 404 *quis diripiatur adulter,* Stat. Theb. 5, 724. Sen. brev. vit. 7, 4. Mart. 7, 76 (Georges lex. lat. ed. VII s. v. *diripio* hunc usum vocis plane omisit).

3, 1, 3 *Cuius filium Faustum C. Cassius condiscipulum suum in*

---

1) Nec ea ipsa omnia satis certa sunt a scriptura, velut Liv. 24, 38, 7 hodie editores ex Alschefskii coniectura scribunt *cavete quisquam supersit, cuius aut vis aut fraus timeri possit* (in Put. est *quicquam . . . . quiusa aut,* vg. *quicquam . . . a quibus aut*), Sall. Cat. 58, 17 ex mell. codd. *semper in proelio eis maximum est periculum, qui maxime timent.*

2) Addimus eis locis, ubi pronomen relativum fere valet *si quis (qui)* — eisque solis an omissio demonstrativi casuum obliquorum admittenda sit, Nipperdey dubitat — Auct. b. Al. 17, 3 *praemiis magnis propositis, qui primus insulam cepisset,* duriora haec e Cicerone de domo 20, 51 *poena est, qui receperit, quam omnes neglexerunt, eiectis nusquam est,* p. Caec. 13, 39 *nullum experiundi ius constitutum, qui obstiterit armatis hominibus* (Bake *in eum,* Kayser *cum eo* ante *qui* inserunt), e Livio 41, 9, 10 *quaestio, qui ita non redissent, L. Mummio praetori decreta est,* quibus locis relativae sententiae fere extra orationis structuram versantur, quod possis legentibus sic indicare: *quaestio 'qui ita non redissent'* cet. (cf. Cic. p. Arch. 4, 7 *data est civitas Silvani lege et Carbonis: 'si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent'* cet.).

schola proscriptionem paternam laudantem ipsumque, cum per aetatem potuisset, idem facturum minitantem colapho percussit. Pro *cum per aetatem potuisset* Paris exhibet *cum primum potuisset.* Fortasse utrumque posuit Valerius: *cum ⟨primum⟩ per aetatem pot.* ut 9, 3 ext. 3 *Hannibal .... iuravit se, cum primum per aetatem potuisset, acerrimum hostem populi Romani futurum.*

3, 2, 2 *immemorem me propositi mei Cloelia facit, paene eadem [enim] tempestate, certe adversus eundem hostem et in eodem Tiberi inclytum ausa facinus: inter ceteras enim virgines obses* cet. Initium exempli recte distinxit primus Kempf (cf. nov. quaest. p. 33), ante quem vulgabatur transpositione facta *Cloelia paene facit. eadem enim temp.* cet. Restat dubitatio de priore *enim,* quod ex Lipsii coniectura Halm et Kempf delent, hic tamquam ex praecedenti syllaba ortum (immo ut ex sequentibus *inter ceteras enim* prave praeceptum), Perizonius ex altera Lipsii coniectura *eadem ea* (nom. casu) *tempestate* edidit. Si quid delitescit in ea voce, non video quid aptius sit quam *reip.*, cf. 1, 1, 11 *eadem rei publicae tempestate C. Fabius Dorsus* cet., 9, 12, 5 *qua tempestate reipublicae L. quoque Cornelius Merula* cet. — In seqq. miror Kempfium alioquin orthographiam eis, quae vulgo optimo cuique editori probantur, rationibus administrantem *inclytus* hic et ubique scripsisse. Librariorum vulgari consuetudini relinquendae erant etiam scripturae *suscribo* (4, 7, 4. 8, 1 abs. 2. 8, 13 ext. 6 codd. L A et *beneficientia* (5, 2 ext. 4 s. f.): illud legitur in frg. iur. Vat. 7, 24 *suscripta* et in titulo Cumano a. 289 p. Chr. I. N. 2558 *suscripsi* (cf. ital. *soscrivere*, francogall. *souscrire*), hoc in cod. Amiatino epist. Hebr. 13, 16, neutrum in bonis usquam libris; denique spernere non debuit Kempf 1, 1, 4 scripturam *flamonio* e Paride, quae nunc Laurentiano quoque libro confirmatur nec solo codice Puteaneo Livii 26, 23, 8, unde sua hausit Valerius, sed optimo quoque libro manu scripto titulisque innumeris unice vera evincitur, v. post Mommsenum, qui primus eph. epigr. I p. 221 de ea re monuit, nunc Georgesii 'lexicon der latein. Wortformen' s. v. *flamonium* p. 281.

3, 2, 4 *Ab Romulo proximus Cornelius Cossus eidem deo spolia consecravit, cum magister equitum ducem Fidenatium in acie congressus interemisset. magnus initio huiusce generis inchoatae gloriae Romulus: Cosso quoque multum adquisitum est, quod imitari Romulum valuit.* In hoc exemplo primus dubitationem movit et exposuit Gertz p. 271: 'quod dicitur *initio incohatae gloriae* sensu cassum est; sed vulgarem errorem librarius commisit, adiectivi casu ad proximum substantivum accommodato; sic enim scribendum esse videtur: *magnus initio huiusce generis incohato gloriae Romulus,* quamquam paulo contortior est verborum ordo. *Initium inchoare* dixerunt etiam Livius 39, 23, 5 et Tac. Germ. 30 in.' (addo Liv. 3, 54, 9 *felici loco, ubi prima initia incohastis libertatis vestrae*). Kempf malle se dicit *initio h. g. incohata gloria,* quem aut non capio aut voluit *initio* ad-

verbialiter ad *incohandi* verbum (*primum incohata gloria*) positum collocatione contorta, ut in scriptura Gertzii, et locutione exemplis, quantum video, carente. Possit aliquis defendere traditam scripturam *initio . . . inchoatae gloriae* eis, quae Valerius similiter composuit 8, 11 ext. 6 *quid ille alter aeque nobilis pictor luctuosum immolatae Iphigeniae sacrificium referens,* ubi simplicius erat *immolatio Iphigeniae* (ut dicit Quint. 2, 13, 13), vel Livius praef. § 12 *sed querellae ne tum quidem gratae futurae, cum necessariae erunt, ab initio certe tantae ordiendae rei absint*[1]), ubi salvo sensu poterat abesse *ordiendae* vel oratio ita conformari: *ab exordio tantae rei*[2]), paulo lenius Tacitus Dial. 4 *ego cotidianum hoc patrocinium defendendae adversus te poeticae suscipio.* His igitur et similibus, quae collegit Madvig ad Cic. fin. 1, 10, 33 p. 72[3] (*frustratio tollendae leges, hiberna eligendi optio*), nescio an tueri possis *initium incohatae gloriae.* Nolo tamen supprimere, quod mihi in mentem aliquando venit non in *incohandi* verbo mendum esse, sed in *initio,* ac rescribendum quod totidem ductibus similibus exaratur, *titulo . . . incohatae gloriae* i. e. *laude, honore,* quem ad modum Valerius eiusdem capitis § 8 scribit: *reddendus est nunc Romanae iuventuti debitus gloriae titulus,* Livius 7, 1, 10 de Camillo: *par deinde per quinque et viginti annos titulo tantae gloriae fuit,* Ov. met. 7, 56 *titulum servatae pubis Achivae;* Val. Max. 1, 8 ext. 4 *cum ei victoriae, quam adeptus erat, titulus et praemium eriperetur,* 4, 1 ext. 7 *Solonem, qui titulum amplissimae prudentiae et praemium ad ipsum Apollinem transtulit;* 7, 6 ext. 3 *cum omne serpentum ac ferarum genus comparatione sui titulo feritatis superarit* (populus Calagurritanus); 3, 3 ext. 6. — Extrema sententia *Cosso quoque* cet. parum cohaeret cum antecedenti, quod incommodum praeposita particula *sed* simplicissime tollitur; cf. 8, 1 amb. 2 *consideranter et mansuete populi Romani magistratus, sed Areopagitae quoque non minus sapienter* cet.

3, 2, 7 (urbe a Gallis obsessa senioribus in plana urbis parte relictis, iunioribus arcem tuentibus): *defuncti honoribus apertis ianuis in curulibus sellis cum insignibus magistratuum, quos gesserant, sacerdotiorumque, quae erant adepti, consederunt, ut et ipsi in occasu suo splendorem et ornamenta praeteritae vitae retinerent et plebi ad fortius sustinendos casus suos * * *. venerabilis eorum aspectus primo hostibus fuit* cet. Pro *fortius* est in codd. L A *fortium;* post *suos,* quod L plene, A erasa ultima littera, ut *s* videatur, exhibet; in utroque libro repetita sunt ex superioribus verba inde a *splendorem* usque ad *retinerent,* unde factum est, ut altera sententia imperfecta relinqueretur. Cuius pravae repetitionis origo probabiliter a Kempfio ed. mai. et Blaumio

1) Paulo aliter Ennius trag. 280 sqq. Vahl. *utinam ne . . . neve inde navis incohandae exordium coepisset.*

2) Nam Fügner, qui nuper lex. Liv. s. v. *absum* p. 161 *tantae ordiendae rei* dativos intelligit, ut *ab initio* per se positum valeat *inde ab initio,* vix cuiquam persuadebit.

p. 35 sq. ita explicatur, ut librarium verbis *casus suos* exaratis aberrasse ad praecedentia *occasu suo* statuant; contra artem vero Halm et *casus* et *suos* ut a Valerio non profecta inclusit sermonis et sententiae rationibus nixus nullis aut admodum imbecillis, de quibus infra videbimus. Iam sententiae deperditae verba ac voces nimirum incerta sunt, unum nobis non incertum videtur terminatam eam fuisse in .... *erent* coniunctivo modo aeque ac male repetitam (*retinerent*), ita ut librarius deceptus et initio et fine similibus securus novam sententiam continuasse existimandus sit verbis *venerabilis eorum* cet. Quare non audiendum puto Gertzium, qui deperditam sententiam supplens *casus suo* ⟨*exemplo animos adderent.*⟩ sequentem a verbis ⟨*summae admirationis*⟩ incipientem facit collato Paride. At hic quod scribit *primum mirantibus Gallis, deinde in risum versis* cet. nimis astrinxit orationem, quam ut inde quicquam probari possit: eandem Gertz oneravit, cum satis esset *venerabilis eorum aspectus hostibus fuit* (h. e. *venerabundi hostes eos intuebantur* ut est in fonte Valerii Liv. 5, 41, 8), praesertim additis admirationis causis: *et novitate rei et magnificentia cultus ... commotis.* Iam Halm praef. ed. p. XIII sq. Kempfio supplenti *ad fortius sustinendos casus suos* ⟨*animos confirmarent*⟩ oblocutus est nec *plebis* vocem oppositam esse nec apte incitatam eam dici ad casus suos forti animo sustinendos, cum potius ad hostes acriter depellendos inflammatos esse dicendum esset, nec denique *fortius aliquid sustinere* bonam locutionem esse; itaque coniecit *obsessis ad hostium sustinendos* ⟨*incursus animos adderent*⟩. Quarum rationum duas extremas bene refutavit Kempf nov. quaest. p. 22 provocans inter alia ad ea verba, quae leguntur 7, 5 in. *campi quoque repraesentata condicio ambitiosam ingredientis viam*[1]) *ad fortius sustinendos parum prosperos comitiorum eventus utiliter instruxerit.* Quod autem Halmio parum verisimile videtur Valerium dixisse senes honoribus defunctos *plebi* animos addere voluisse, quasi non patrum quoque iuniores in arcem se recepissent, vereor ut Kempf revicerit: nam loco Livii 5, 41, 7, quem affert, *plebis* aedificia obserata *principum* patentibus atriis recte opponi sentitur, Valerii autem loco senes contrarios habere non possunt nisi iuniores; cf. quae antecedunt *consilium .. relinquendorum seniorum, quo facilius iuventus .... tueretur.* Quod pro *plebi* temptaveram *pubi*, iam praeoccupatum video a Gertzio p. 271. Nec nunc displicet vocabulum illud, quod ut poeticum maxime (sed ne a Cicerone quidem, Livio, Tacito alienum) stilo Valerii convenit, qui

1) *Vitam* maluit Perizonius, quod verum videtur Kempfio. Et sic Valerius 2, 1, 10 *defunctura* (sic optime emendavit Gertz p. 264 codd. *defuncta uiri*) *cursu aetas ingredientes actuosam vitam fervoris nutrimentis prosequebantur,* ubi tamen vitam ingredientes iuvenes paene iam defunctis vita opponuntur. Illo tamen loco *viam ingredi* aptius est, ut ubi de cursu honorum pleno ambitionis agatur. Cf. etiam 8, 8, 1 *actuosae vitae iter aequali gradu exsequebantur.*

similiter dixit 2, 1, 10 *pubertas canis suum decus reddebat* variandae orationis gratia post anteced. *quo iuventutem alacriorem redderent.* Itaque hoc excepto recte olim iam universam formam sententiae assecutus nobis videtur Kempf: *ad fortius sustinendos casus suo ⟨exemplo animos confirmarent⟩*, a quo paululum discrepant Madvig adv. crit. II, 319 et Gertz, ille *animos facerent*, hic *a. adderent* (ut olim Halm em. Val. p. 21) praeferentes. De *suo* autem post *casus* duplex oboritur dubitatio, una propter codices potius *suos* indicantes (v. supra); altera utrum prava illa repetitio in codice archetypo initium ceperit a *splendorem*, quod vulgo putant, an a *suo* s. *suos,* quod si mecum statuis prior illa dubitatio tollitur: et rectius generatim dici incitari iuvenes *ad fortius sustinendos casus* senserunt illi quoque critici, qui *suo* retinebant (cf. 4, 7 ext. 2 *per quem tutior adversus casus steti*). Quare eiecto *suo* s. *suos* totum locum sic fere reconcinnandum puto: *ut et ipsi in oc**casu** suo splendorem et ornamenta praeteritae vitae retinerent et pubi ad fortius sustinendos **casus** [suos splendorem et ornamenta praeteritae vitae retin**erent**] ⟨exemplum praeb**erent**⟩.*[1] *Venerabilis eorum* cet. Ceterum fortasse simile exemplum pravae repetitionis (etsi spatii pusilli) habemus 3, 3, 1, ubi Kempf ex dett. codd. edidit *ipsum quoque Porsennam oblitum periculi sui ultionem suam vertere in admirationem coegit* (Mucius Scaevola): in L est *sui* erasis post id 6—7 litteris, in A *sui fere* in rasura totidem litterarum, unde aliud latere suspicati sunt Foertsch in emend. Val. III p. 13 (progr. Naumb. 1870) *summi,* Halm *subiti* (rarum hoc: Auct. b. Al. 47, 1 *recordatione subiti periculi = p. quod subierant*) vel *suscepti*, nescio an offensi etiam languore pronominis *sui.* Equidem puto in archetypo codicum L A oculis librarii ad antecedentis sententiae ultima verba ***oculis uiderunt*** aberrantibus primitus *periculis uiderunt* scriptum fuisse, deinde in latinarum vocum condicionem redactum. Itaque *sui* abiciendum iudicamus.

3, 2 ext. 1 *eo* (T. Iubellio Taurea Campano) *deinde [dicente] libenter id se fuisse facturum, nisi senatus voluntate impediretur adfirmante 'at me', inquit, 'adspice'* cet. Aut *dicente* aut *adfirmante* tollendum esse apparet: hoc omiserunt codd. dett. nonnulli et edd. vett., illud Kempf eumque secutus Halm, alterum illud insertum suspicati a librario paulo remotiorem vocem eiusdem significatus non animadvertente. Quorum ratio probabilis admodum est, quamquam negari nequit ipsum quoque *dicente* Valerianum esse, v. 3, 1 ext. 1 *at illo dicente mandatu civitatis propylaea Minervae aedificasse,* 6, 2, 10. 9, 11, 3. 9, 14 ext. 3. Easdem autem rationes possis adhibere alteri loco Valerii, qui est 1, 1 ext. 4. Ubi cum haec in codd. legantur: *in quam* (iram deorum) *ne incideret Timasitheus Liparitanorum prin-*

---

1) Quod supplementum posui, non quo aliis criticorum (ut *animos adderent* cet.; possis vel *animi accederent* s. *crescerent*) praestare putemus, sed ut aliam rationem supplendi monstremus.

ceps, † consilio sibi aliter atque universae patriae utili providit exemplo, sine dubio recte Pighius, incertum de sua coniectura an codices suos secutus *pariter* scripsit pro *aliter,* mendum reliquit in *consilio . . . exemplo,* quorum synonymorum alterum utrum supervacaneum est: hoc abiecit Halm, illud equidem malim, quamvis probum sit per se, cf. 1, 8, 10 *bello civili, quo se Cn. Pompeius a Caesaris concordia pestifero sibi nec reipublicae utili consilio abruperat,* 9, 11 ext. 4 *auctor ac tutela nostrae incolumitatis, ne excellentissima merita sua totius orbis ruina conlaberentur, divino consilio providit.* Nam quod Foertsch (em. Val. III p. 3) legendum proposuit *Timasitheus, Liparitanorum princeps consilii, sibi pariter . . . . providit exemplo,* ei coniecturae certe ex loco Liviano, quem advocat, 5, 28, 3 *forte eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam,* nihil subsidii oritur nec sane commendatur eis quae Valerius scripsit velut 4, 1 ext. 3 *Theodorum*[1]) *principem eius urbis.* Ceterum et a Diodoro bibl. 14, 93 et a Plutarcho Cam. 8 Timasitheus cτρατηγόc vocatur.

3, 2 ext. 4 *Othryadae quoque pugna pariter ac morte speciosa Thyreatium*[2]) *laude quam spatio latius solum cernitur.* Haec sicut tradita sunt recte habere non posse Gertzio p. 272 et Kempfio nov. ann. phil. 1886 p. 60 facile largimur, sed quae reponi iusserunt *speciosum* vel *speciosius* pro *speciosa,* structuras efficiunt quam maxime duras et artificiosas, non solum Gertz, qui eo nomine a Kempfio impugnatur: quis enim in Kempfii scriptura disiecta membra unquam ita recolliget, ut auctor voluit: *Thyreatium quoque solum pugna ac morte Othryadae speciosius laude quam spatio latius cernitur?* Nobis integrum omnino videtur *speciosa:* nam et *pugna pariter ac morte speciosa* tam recte componitur quam a Floro p. 62, 4 Iahn *perinde speciosa mors earum fuit quam pugna* aut a Valerio 4, 2, 6 *reum pariter atque accusatorem admirabilem egit,* et *speciosa mors* legitur 3, 2, 20, *speciosus exitus vitae* 5, 4 ext. 3. Omnia plana erunt, si mecum scripseris *censetur* pro *cernitur.* Scilicet simplicem hanc sententiam *Othryadae pugna ac morte speciosa Thyreatium solum censetur* amplificando extulit scriptor, per πρόληψιν *ad solum* adiciens *laude quam spatio*

---

1) Quae lectio vulgata memoria librorum meliorum minime nititur, in quibus scriptum extat *thodorum,* quod nullum nomen est. Apud Plutarchum v. Dion. 17 princeps Megarensium *Ptoeodorus* audit, idemque videtur significari (in indice Megarensium Philippi partium studiosorum) a Demosthene de cor. § 295 et de falsa leg. § 295 (cf. Sauppe ad Philod. de vit. p. 19).

2) Hanc vulgatam lectionem (in Bern. libro est *thyreatrum*) Bergk p. VI meram barbariem vocat et *Thyreatarum* s. *Thyreatum* scribi iubet. Barbariem, si recte illum capio, in eo esse vult, quod a graecae urbis nomine adiectivum in *-as* tertiae declinationis derivatur (cf. 4, 1, 5 *Stasippus Tegeates*), quae terminatio latinorum nominum propria videtur; nec invenio exemplum prorsus simile. Fortasse tamen praestat Laurentiani lectio *Thyrearum:* certe Graecis Θυρεά et Θυρεαί urbs audit. — Ceterum testimoniis eius narrationis a Kempfio ed. mai. congestis adde Schol. Stat. Theb. 4, 47 et Ampel. l. mem. c. 14, 4.

latius, quae locutio rhetorica Kempfium retinere non debuit: eaedem fere argutiae leguntur 5, 3 ext. 3 *huius tamen summoti* (Thesei) *ab Atheniensibus Scyros, exsule minor insula* (immerito Cornelissen: *exilis et inops insula*), *ossa mortui cepit,* et 4, 1, 1 *nonne quantum domo inferior, tantum gloria superior evasit. Censeri aliqua re* h. e. gloriam nancisci s. habere eodem modo Martialis posuit 1, 61, 2 sq.

Marone felix Mantua est,
Censetur Apona Livio suo tellus,

Plin. n. h. 36, 2 (5), 12 *subiecerunt carmen non vitibus tantum censeri Chion sed et operibus Archermi filiorum,* similiter Valerius ipse 5, 2 ext. 4 s. f. *et sane amplissimae et speciosissimae divitiae sunt feliciter erogatis beneficiis late posse censeri,* 8, 7 ext. 4 *Democritus, cum divitiis censeri posset,* Iuvenalis 8, 2 *quid prodest, Pontice, longo sanguine censeri,* v. 74 *sed te censeri laude tuorum, Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futurae laudis agas,* Suet. gr. 10 (Ateius) *philologi appellationem assumpsisse videtur, quia sicut Eratosthenes multiplici variaque doctrina censebatur;* Sen. ep. 76, 8 *id in quoque optimum esse debet, cui nascitur, quo censetur;* Plin. pan. 15, 5. Tac. Dial. 39. Iust. 9, 2, 9.

3, 2 ext. 5 moribundi Epaminondae extremae voces sic traduntur in Laurentiano: *non finis, commilitones, vitae meae, sed melius et athius initium advenit,* Bernensis liber *aptius* exhibet, sed *pti* in rasura et ut item *athius* prima manu fuisse Kempfio visum sit, in margine eius codicis *altius* est, ut in dett. plerisque. Varie corruptam vocem emendare studuerunt docti, Novák *amplius,* Gertz *lautius,* Kempf *beatius.* Possis etiam (coll. Liv. 34, 4, 3 *melior laetiorque in dies fortuna reipublicae est*) *laetius* similiaque cogitare, nihil vero codicum ductibus propius aut sermoni convenientius quam quod in codice abbreviato Guelferbytano (Γ apud Kempf.), coniectura puto, inventum legitur Halmiique plausum tulit: *auctius.* Solemniter componuntur *melius et auctius* ut Hor. sat. 2, 6, 3 *auctius atque di melius fecere,* Liv. 25, 16, 11 *quando res quoque Romana in dies melior atque auctior fieret. Athius* natum est ex *actius* vel *autius,* quibus scripturis nihil est vulgarius (cf. Schuchardt, Vocalismus des Vulgärlateins II p. 306). — In fine capitis verbis paene iam deploratis opem tulit una voce palmari coniectura mutata Madvig adv. crit. I p. 113 hanc sententiam restituens: *e corpore deinde suo hastam educi*[1]) *iussit eoque vultu* (codd. *vulnere*) *expiravit, quo, si cum di immortales victoriis suis perfrui passi essent, sospes patriae moenia intrasset,* in qua sententia id unum mireris sprevisse Valerium usque ad ineptias captatorem talium acumen, quod in promptu erat: *eoque vultu vita egressus est, quo . . . . patriam ingressus esset.*

---

1) Sic edd. vett., Halm, Kempf. Codicum lectio *deduci* defensionem vix admittit. Cf. Verg. Aen. 10, 744 *eduxit corpore telum;* Ov. met. 6, 252 *quod* (ferrum) *simul eductum.*

3, 2 ext. 9 *cum pestifera seditione Syracusarum tota regis Gelonis stirps ad unicam filiam Harmoniam virginem esset redacta et in eam certatim ab inimicis impetus fieret, nutrix eius aequalem illi puellam regio cultu ornatam hostilibus gladiis subiecit.* Extremam vocem Gertz et hic in Paridis epitome *obiecit* scribi vult, sicut est in edd. vett. Videndum tamen, ne consulto verbum *subiciendi* scriptor elegerit, quod duplicem sensum exhiberet et *obiciendi, exponendi* ('preisgeben') et *subdendi* ('unterschieben'): illo dixit 7, 2 ext. 2 *ancipiti fortunae subiectos,* 8, 1 abs. 3 *reus suffragiis populi subiectus* (at ib. 4 *infesto populo obiectus*), 6, 2, 1 *salus et victoribus et iratis subiecta* (male Cornelissen *obiecit*); hoc 5, 9, 4 *sive illum adulescentem subiecisset sive ex alio concepisset,* 9, 15, 2 *subiecto in locum suum proprio filio.*

3, 4, 1 *senectus* (Tulli Hostilii) *excellentissimis * * decorata in altissimo maiestatis fastigio fulsit.* Nihil aut a sententia aut a palaeographica ratione aut denique a Valerii locutione melius inseri potest quam quod margo A et dett. aliquot codd. praebent *ornamentis;* dicit *ornamentis decorare* Valerius bis: 4, 1, 6 *maxima eius merita paribus ornamentis decorare conati sunt* et 5, 1, 8 *Romani imperii decoratus ornamentis.*

3, 7, 9 *quo tam pleno fiduciae bonae consilio cum absolutionem celerem tum profectionem honestiorem consecutus est. Quo tam* recte cum edd. vett. hodie scribitur pro eo, quod est in A[1] *quae vota,* in L[1] *que vota.* Eodem modo loquitur Valerius huius capitis § 1c *quo tam pleno fiduciae spiritu,* 2, 2, 9 *quo tam salubri facto,* 3, 8 ext. 6 *quo tam constanti erga amicum iudicio,* 5, 1, 5 *quo tam clementi facto,* 5, 1, 1 *quae tam prompta patrum humanitas.* Ac ne quis de palaeographica, quam vocant, probabilitate dubitans aliud ex codicum scriptura elicere conetur, moneatur — nam Kempf in ed. mai. aliam mendi originem statuit, sed vix rectam — ortum esse *que* (s. *quae*) *vota* ex *quo tã* intempestive *q* littera pro compendio intellecta (*q. uotã*), cuius generis errore Liv. 5, 41, 5 in Mediceo ex *ne quis* natum est *neque vis* (quod mire fefellit Drakenborchium et Hertzium), Lucr. 5, 654 in Quadrato *aut que via* ex *aut quia,* Auct. b. Al. 42, 2 in codd. aliquot *neque vero* ex *ne quo* (*neq. ũo*), Liv. 35, 40, 3 in Bamb.: *boiq; VI fuerunt* pro *Boi quieverunt.* Similes librariorum lapsus in continua scriptura nimirum ortos notarum punctis, quibus eae a reliqua oratione distinguebantur, aut neglectis aut intempestive intellectis (e Valerii libris addo 1, 1 ext. 1 *publii lemini* pro *Plemini*) collegi quaestt. critt. Liv. p. 42 sqq.

3, 8, 4 *Metellus autem Numidicus ... cum animadverteret, quo tenderent Saturnini tribuni plebis funesti conatus, in exsilium quam in legem eius ire maluit.* Postrema verba Wensky coniectanea in Val. Max. p. VI (progr. Vratisl. 1879) sic emendanda duxit: *in exsilium ⟨ire⟩ quam in legem eius iurare maluit* collatis locis similibus Ciceronis p. Sest. § 101 et 37, Livii per. 69, Vellei 2, 15, 4, ubi in eiusdem rei narratione in legem Saturnini iurare noluisse

Metellus dicitur. Addere poteris quod propius etiam accedit Ampelii locum l. mem. 18, 14 *maluit in exsilium ire quam iurare.* Ac tamen vereor, ne lusus verborum ita tollatur, qui sane paulo quaesitior inest in tradita scriptura, figurata oratione *(in legem ire)* cum propria *(in exsilium ire)* composita; cuius similem lusum in eadem re Cicero lusit p. Sest. § 101 *de civitate maluit quam de sententia demoveri.* Ad eum modum, quo *in sententiam alicuius ire* similiaque dicuntur (Tac. ann. 3, 23 *itum in sententiam Rubelli Blandi;* Amm. Marc. 24, 7, 1 *itum est in voluntatem quorundam)* vel quo Statius silv. 1, 1, 28 *te signa ferente et minor in leges iret gener et Cato castus* (corr. Bursian: codd. *castris;* h. e. et Pompeius et Cato condiciones acciperent, v. Marklandium) acuminum captatorem Valerium novasse *in legem alicuius ire* nobis non tam incredibile videtur. Certe non multo minus audacter idem 9, 3 ext. 4 de Samiramide a medio cultu capitis ad Babylonis urbis, quae defecerat, oppugnationem profecta *non prius decorem capillorum in ordinem quam urbem in potestatem redegit;* 5, 6 ext. 4 de Philaenis fratribus *patriae quam vitae suae longiores terminos esse maluerunt,* 5, 1, 5 de Q. Metello *quo quidem tam clementi facto etsi non unius civitatis moenia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit,* 8, 7 ext. 6 de Anaxagora *si praediorum potius quam ingenii culturae vacasset,* figurata ubique cum propria oratione composita.

3, 8, 5 *dispulsis prostratisque inimicorum partibus Sulla occupata urbe senatum coegerat ac summa cupiditate ferebatur, ut C. Marius quam celerrime hostis iudicaretur. Ferendi* verbum de legis latione accipiens Gertz p. 274 *ferebatur* impersonaliter enuntiatum, cum Sulla id tulisse dici deberet, non tulit et *ferebat* reponendum duxit. At ei notioni minime conveniunt, si quid sentio, verba quae subiciuntur: *quam celerrime.* Mirandum est virum doctum fugisse simplicem illam interpretationem: *Sulla ... summa cupiditate ferebatur* (usitatius erat *tenebatur* s. *nitebatur,* ut est proxima § *totum forum acerrimo studio nitebatur, ut Equitio ... osculum dares,* 1, 6, 9 *cum summo studio niteretur, ut Poenorum exercitum aut in Italia prosterneret aut Italia pelleret)* h. e. *S. summopere cupiebat,* cuius locutionis duo exempla e Cornelio Nepote quod Kempf affert (Alc. 9, 4 *ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione,* Att. 10, 4 *etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem),* poterat ex Valerio ipso sumere 7, 3 ext. 4 *cum ad excidium eius* (Lampsaci) *summo studio Alexander ferretur* et similia, quae leguntur 8, 15 in. *etsi mens hoc loco protinus ad Augustam domum ... omni impetu fertur.* Nec aliter Tacitus ann. 4, 3 *placuit tamen occultior via et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur,* Auct. b. Al. 20, 2 *pars eorum studio spectandi ferebatur, pars etiam cupiditate pugnandi,* alii. — Idem *ferendi* verbum dubitationem movit Kempfio 9, 12 ext. 3 *non vulgaris etiam Homeri mortis causa fertur,* ita ut *affertur* scribendum coniceret (nov. ann. phil. 1886 p. 63). Sed *fertur* idem valet, quod *circum-*

fertur, vulgatur, quem ad modum loquitur Suetonius Dom. 9 *ferebatur vox eius,* Paris epit. 3, 2 ext. 3 *cuius* (Leonidae) *haec vox fertur,* quod communi usu enuntiatur sic: *qui haec dixisse fertur,* sicut illa Valerii *non vulgari causa Homerus mortuus esse fertur.*

4, 1, 7 *at M. Marcellus, qui primus et Hannibalem vinci et Syracusas capi posse docuit, cum in consulatu eius Siculi de eo in urbem venissent.* Pro *consulatu* L[1]A exhibent *consulatum,* unde suspicor legendum *consulatu IV,* cum praesertim in talibus consulatus numerum indicare soleat Valerius, v. 6, 2, 8 *vidi Cn. Carbonem ... in tertio consulatu catenis vinctum* cet., 5, 6, 6 de P. Decii Muris filio *is namque in quarto consulatu patris exemplum secutus* cet., 6, 2, 11 *in tertio eius* (Cn. Pompei Magni) *consulatu,* 9, 13, 2 *tertio in*[1]) *consulatu suo iussu Pompei in Sicilia ad supplicium ductus* (Cn. Carbo); cf. etiam 1, 1, 8 *M. Marcellus quintum consulatum gerens,* 9, 7, 1 *a C. Mario quintum consulatum gerente,* 3, 2, 18 *C. Marium consulatum sextum gerentem,* 9, 12, 3 *collega Ti. Gracchi consulis iterum.*

4, 1, 12 *ubi illa tot in curia iurgia? ubi tot [multae] pro rostris altercationes? ubi maximorum civium et ducum tantum non togata proelia?* Pro inepto *tot multae* (sic codd. LA) Kempf in ed. mai. et Halm *tam multae* dett. codices secuti ediderunt. Sed in ea scriptura non acquiescens hic *tot illae* vel solum *tot* deleto *multae* proposuit alterumque hoc nuper Kempfio persuasit, Wensky (coni. in Val. Max. p. VIII) *tumultuosae* temptavit. Mihi superior Kempfii ratio magis posteriore probatur (nam *multae* unde tandem natum putabimus?), non solum a palaeographia, de qua infra videbimus. *Tam multae altercationes* si languere censetur, idem cadit in praecedentia *tot iurgia,* variatur autem prorsus eodem modo, quo 1, 6, 11 *tot pulcherrimarum legionum interitus, tam multa signa hostilibus intercepta manibus* vel 7, 1, 1 *tot partus, tot viriles togae, tam multae nuptiales faces.* Adde, quod simplicissima ea correctio est: scilicet librario diutius obversata paulo antecedentis vocis *tot* species effecit, ut genuina vox *tam* illa permutaretur. Quod erroris genus frequenter in codd. Valerii observari potest, ut 4, 4, 8 *locus; quae quidem locus ob virtutem publice donata possidebant* pro *quidem loca* (unde non erat, cur Kempf *loca iis* temptaret), 9, 3 in. *ira quoque aut odium* pro *et odium* (antec. *DE IRA AVT ODIO),* maxime in praepositionibus ut 6, 4, 4 L *inpotentis armis insignaverit* pro *adsignaverit,* 5, 6, 8 LA *pro obsidione Capitolii promissa* pro *omissa,* 7, 3 ext. 7 *adfligere* pro *confligere* (paulo antecedit: *advenerit),* 5, 1, 5 *perageret per obsidionem discessit* pro *ab obsidione,* ext. 3 *felicitatis pro-*

---

1) Ubi certe praepositionem, quam Gertz particula *enim* mutari vult, loci ascripti tuentur. Si quo vinculo sententiam illam cum antecedenti conecti necesse est — et sane sic solet Valerius — potius *qui* vel *namque* initio inserendum censeo, cuius usus exempla quaevis pagina subministrat.

ventu non corruptus, ut officii *prospectum* *deponeret* pro *respectum* (corr. Kellerbauer, cf. 6, 6 ext. 2 *respectum Romanae societatis deposuit,* 2, 2, 5 *insitus pectoribus antiqui moris respectus).* Eodem nomine recte Halm 1, 8, 2 scribendum censuit *cultu anguis a peritis percepto pro excepto* (antec. *exoptatae rei . . . expleta gratiarum actione*), nisi mavis *accepto* coll. 8, 7 ext. 3 *quo minus miror in Italiam transgressum* (Platonem), *ut ab Archyta Tarenti . . . Pythagorae praecepta et instituta acciperet,* 8, 10 ext. 1 *quae a praeceptore suo Anaxagora pertinentia ad solis et lunae cursum acceperat, disseruit* (Pericles), 8, 15 ext. 1 *Pythagorae tanta veneratio ab auditoribus tributa est, ut quae ab eo acceperant in disputationem deducere nefas existimarent.* Eodem denique mendo depravatum puto verbum compositum 1, 6, 4 *L. Sulla, cum in agro Nolano ante praetorium immolaret, subito ab ima parte areae prolapsam anguem prospexit:* nimirum *conspexit.* Cf. quae de eo genere corruptelae disputavi quaestt. critt. p. 64sqq.

4, 2, 4 *idemque* (Cicero) *P. Vatinium dignitati suae semper infestum duobus publicis iudiciis tutatus est, ut sine ullo crimine levitatis, ita cum aliqua laude, quia speciosius aliquanto iniuriae beneficiis vincuntur quam mutui odii pertinacia pensantur.* Quid sit *iniurias beneficiis vincere,* parum intellego. Ipsa membrorum aequalitas (. . . *pensantur*) aliud indicat verbum, quo nullum aptius video quam *vindicantur;* cf. 5, 3 ext. 3 (p. 241, 16 K.) *beneficia iniuriis rependere,* 5, 3, 2b *clarissima opera iniuriis pensando.*

4, 3, 6 (de Fabricio ad Pyrrhum legato sapientiam Atheniensis cuiusdam, qua is ne quid aliud homines quam voluptatis causa facere vellent suadebat, Pyrrho et Samnitibus deprecante) *licet Athenae doctrina sua glorientur, vir tamen prudens Fabricii detestationem quam Epicuri maluerit praecepta. quod eventus quoque iudicavit: nam quae urbs voluptati plurimum tribuit, imperium maximum amisit, quae labore delectata est, occupavit* cet. *Iudicavit* inde ab antiquissimis temporibus vulgatur, sed L A[1] *indicavit* exhibent. Miror neminem editorem memoriam codicum meliorum ne conatum quidem defendere. Quamquam probe scio admodum tenuem esse in his verbis librorum auctoritatem, tamen *eventus iudicavit* (pro communi *approbavit, comprobavit*) in quovis paulo ornatioris stili scriptore, nedum in Valerio tolerari potest, non minus quam illa Livii 21, 10, 9 *eventus belli velut aecus iudex, unde ius stabat, ei victoriam dedit* aut Ciceronis Phil. 11, 13, 34 *in quo* (civili bello), *quid faciendum Deiotaro, quid omnino rectius fuerit, dicere non est necesse, praesertim cum contra ac Deiotarus sensit victoria belli iudicarit* aut ipsius Valerii 9, 11 ext. 1 (de certamine singulari duorum nobilium Hispanorum) *minor corporis viribus fretus in amentia perstitit initoque certamine pertinacior impietas fortunae iudicio morte multata est.*

4, 4, 2 *cuius ut superstitis* (Menenii Agrippae patrimonium) *nullum fuit, quod in censum deferretur, ita extincti hodieque amplissimum est patrimonium Romana concordia.* L A[2] *hodieque* prae-

bent, A[1] *odioquae*, unde Halm *hodie quoque* scribendum coniecit. Quod iure Kempf repudiavit. Constanti enim usu Valerius *hodieque* dicit, v. 2, 2, 6. 5, 6, 2. 8, 15, 1, etiam 7, 2 ext. 2 *quam multi luctus sub his tectis et olim fuerint et hodieque versentur et insequentibus saeculis sint habitaturi,* ubi recte Kempf codices LA sequitur contra Halmium ex Paride *hodie* scribentem: nam *et hodieque* compositum nihil habere offensionis probat vel locus Claudii orationis (col. 21. 12 in Nipperdei edit. Tac. ann.) *L. Vestinum familiarissime diligo et hodieque in rebus meis detineo* vel Senecae rhet. p. 63, 11 B. (75, 21 Ks.) *voluisti et hodieque vis,* quod recte elicuit Bursian ex codicum meliorum scriptura *hodie quis* (pro *hodieq. uis*). Taciti dial. 34 codices et editores fluctuant inter *hodie quoque* et *hodieque,* at Germ. 3 *hodieque* consensu librorum traditur, quamquam ibi quoque Halm Mosleri cuiusdam coniecturam *hodie quoque* memoratu dignam putavit. De hoc usu accuratius disputatum est (nam Draegeri hist. synt. lat. II[2] p. 46 copiae admodum tenues sunt) in 'antibarbaro' Krebsii ubi praeter tria proxime ascripta exempla adde haec: Vell. 1, 11, 3. 2, 61, 3. 81, 2. 98, 1. Suet. Tib. 14. Tit. 2.

4, 6 ext. 1 *sunt et alienigeni amores iusti obscuritate ignorantiae non obruti* cet. Iure quaerit Madvig adv. crit. II p. 321, quid *amores iusti* (qui sint, docet contrarium Ov. fast. 2, 779) sibi velint; quod vero reponi iubet *iuste,* loquendi usu parum commendatur nec per se requiritur, cf. 8, 2, 2 *notum suis temporibus iudicium commemoravi, sed ne quod relaturus quidem sum obliteratum silentio,* ubi male veteres editiones *obliterandum.* Suspicor Valerium scripsisse *amores casti* sicut in antecedenti § (4, 6, 5) *tuos castissimos ignes, Porcia, cuncta saecula debita admiratione prosequentur.* — In extremis exempli verbis *eorum testimonio, qui illam* (Artemisiam Mausoli coniugis) *extincti ossa potioni aspersa bibisse tradunt,* ex eo, quod L[1] *aspersę bibisse,* A[1] *asperse b.* praebent, efficiendum videtur *aspersa ebibisse:* eodem verbo in ea re utitur is scriptor, qui Valerii Maximi libris non semel usus est, Gellius 10, 18, 3 *ossa cineremque eius mixta odoribus contusaque in faciem pulveris aquae indidit ebibitque.* Eodem errore Val. 5, 1 ext. 4 in Laurentiano natum est *urnepyrrum* ex *urna Epirum,* fallente scriptura continua *urnaepirum,* ut *e* ad antecedens *a* tracto litera *a* interciperetur, de quo mendi genere minus noto pluribus exemplis congestis disserui quaestt. critt. p. 16 sqq. Incohatum mendum ostendunt tales scripturae, quales sunt Bernensis libri 9, 1, 3 *ruine vasit* pro *ruina evasit,* Laurentiani 7, 6, 1 *gubernaculę manibus* pro *gubernacula e manibus,* 5, 3 ext. 3 (p. 241, 9 K.) *clementi ęt libertate* pro *clementia et lib.* Unde sane oriri potuit ib. (p. 242, 10 K) lectio codicum L[1]A *Salamin et Artemisium* ex *Salamina et Art.,* quod dett. codd. et L m. 2 habent: sed ipsum *Salamin* non contemnendum esse iure monuit Bergk l. c. p. VII advocans et formam *Eleusin,* quae sola in latinis litteris invenitur nec usquam *Eleusis* (v. Georges 'Wortformen' s. v. *Eleusin;* in Senecae tragoediis

vetus Etruscus solus ubique *Eleusin* servavit, reliqui libri *Eleusis* interpolaverunt) et Prisciani verba VI, 28 *notandum, quod auctores Graecorum in is magis terminatione sunt usi, nostri vero frequentius in in.* Idem vir doctus recte improbat quod Halm et Kempf ex vett. edd. scripserunt *Salamis,* sed quod *Salamina* primae declinationis damnat, quamquam ne ipsi quidem illo loco sic corrigi necessarium putamus, ab eo dissentimus. Nam ut concedamus *Crotonae* Val. 1, 8 ext. 18 dubium esse an *Crotone,* quod Bergk restitui vult, significetur (eadem ambiguitas est Iust. 20, 4, 17 Ieep et Ruehl: *Crotone*), legitur tamen 5, 3 ext. 3 (p. 240, 7) *Salaminam* (item Iust. 44, 3, 2; *Salaminae insulae* 2, 7, 7), alibi *Eleusina* (Ampel. 15, 2 *Eleusinae* anceps est), *Crotona, Marathona* primae declinationis, v. Georgesii 'Wortformen' s. v.; quae omnia hodie mira inconstantia damnant iidem, qui *Ancona* pro *Ancon* tolerant, praeter Wesenbergium, qui solus ne id quidem tulit (ad Cic. Tusc. 1, 110).

4, 6 ext. 3 *Minyae ... a Pelasgicis expulsi ramis, alienae opis indigentes excelsa Taygetorum montium iuga supplices occupaverunt. Pelasgicis* et *ramis* quomodo emendanda sint, quamquam multi elaborarunt, non constat. Illud vero moneo contra Blaumium (quaest. Val. spec., progr. lyc. Argentorat. 1876 p. 41) verba *alienae opis indigentes* attemptanda non esse, immo aptissime se habere post '*expulsi*', quem ad modum scribit Nepos de reg. 3, 4 *Seleucus a Ptolemaeo Cerauno dolo interfectus est, quem ille a patre expulsum Alexandrea, alienarum opum indigentem, receperat,* idem Hann. 1, 3 *cum patria pulsus esset et alienarum opum indigeret.*

4, 8, 3 *In Q. quoque Considio saluberrimi exempli nec sine parvo ipsius fructu liberalitas adnotata est.* In verbis *nec sine parvo ipsius fructu* mendum latere nondum animadversum videtur. Non parvum fructum e liberalitate sua Considius cepit, si quidem honorificentissimum de eo senatus consultum factum est. Itaque per litoten ea sententia efferenda erat aut: *nec cum parvo fructu* aut: *nec sine magno ipsius fructu* (cf. e. g. 6, 2, 4 *Cn. Pompei auctoritas totiens cum libertate luctata est nec sine magna laude*). Quae cum minus prope ad traditas litteras accedant, suspicor Valerium *nec sine largo ... fructu* scripsisse, quod adiectivum posuit 3, 3 ext. 7 *neque haustum sui cum aliquo personarum discrimine largum malignumve praebet virtus,* 2, 2, 9 *vino largiore provecti,* 9, 1 ext. 1 *dapibus largis.* — 4, 7, 7 *uberrimos fructus;* Curt. 7, 4 (17), 26 *largos fructus* proprio significatu dixit.

5, 2, 6 *at Flaminini de Philippo rege triumphantis currum ... duo milia civium Romanorum pilleata comitata sunt, quae is Punicis bellis intercepta ... collecta in pristinum gradum restituerat, †geminarum ea decus imperatoris, a quo simul et devicti hostes et conservati cives spectaculum patriae praebuerunt.* Corruptam librorum lectionem, cui Kempf crucem praefixit, varie emendare docti studuerunt, Halm *geminatum ea* (i. e. *eā curā*) *decus,* Blaum adn. crit. in Val.

Max. p. 43 (progr. schol. Argentor. 1876) *geminum victoriae decus,* Kempf proxime *geminarunt ita decus* proponendo. Simplicius puto *geminatura decus.*

5, 2, 10 *sed dum honesti etiam ab infimis istis editi memoria non intercidat, licet separatum locum obtineant, ut nec his* (claris viris Romanis) *adiecti nec illis* (exteris regibus) *praelati videantur.* Codicum corruptam scripturam *ab infimis estis* Lipsius emendabat *ab infimae sortis* (ubi *hominibus* abesse omnino nequit), Heller (Phil. 1869 p. 362 *ab infimis sectis* substantivo inepto, Halm *ab infimis* seclusa voce *estis,* Kempf nuper (et ante eum iam Foertsch em. Val. I, 20 in progr. schol. Naumb. 1855) *ab infimis istis* vix recte, cum generatim dicendum esset. Nobis persuasum est nihil omnino quaerendum in voce *estis* eamque cum Halmio expungendam. Cuius originem inde repeto, quod in archetypo primitus *infestis* pro *infimis* scriptum fuit terminatione prava ex paulo antecedenti *honesti* orta, deinde genuina terminatio addita. Similes duplices, quas vocant, lectiones habentur in codd. LA 6, 9, 6 *obsiderebatur* pro *obsidebatur* (altera lectio erat *obsideretur*), 6, 2, 7 *adcognoscere* pro *adgnoscere,* 5, 3 ext. 3 *cives suos in [suam] unam urbem contraxit,* 2, 6, 14 *iunge animosam Thraciae [potentiam] sapientiam:* nam frustra ibi Kempf et Gertz ex *potentiam* aliquid extundere student. — In eis, quae paulo antecedunt verbis *quorum* (libitinariorum funus Hirti et Pansae gratuito exhibentium) *laudem †adiecta lege condicio auget magis quam extenuat, quoniam quidem quaestum contempserunt nulli alii rei quam quaestui viventes* non video quid probabilius scribi possit quam *abiecta ⟨con⟩legii condicio* cum Blaumio (nov. ann. phil. 1873 p. 116, iterum in progr. laudato p. 43) et Gertzio, coniectura absoluta, quam Lipsius incohaverat scribendo *abiecta condicio* deleto *lege,* in qua Foertsch l. c. I, 20 *longe,* ego aliquando audacius *Libitinae* delitescere putavi. Contemptam ac sordidam condicionem aperte indicant verba huius § *sordibus gratis* et *contemptum gregem* eodemque modo *abiectus* 6, 9 in. legitur *ex condicione abiecta atque contempta,* 3, 7, 5 *abiectissimum negotium,* 9, 2, 2 *abiectissimi hominis; collegium* 2, 4, 4 *tibicinum collegium.* Denique *adiecta* pro *abiecta* codices habent etiam 4, 5, 3. Itaque omnibus numeris perfectam emendationem Kempf in verborum ordinem recipere non debuit dubitare.

5, 3 ext. 1 *Carthaginienses Hannibalem, qui pro illorum incolumitate tot imperatores totque exercitus nostros trucidaverat, quot gregarios milites hostium si occidisset magnae gloriae foret, conspectu suo summovere in animum induxerunt.* In condicionali sententia *si occidisset* pridem offensus et *ei occidisse* legendum suspicatus nunc video dubitationem confirmari codice Laurentiano, a quo *si* abest, ut Valerius *occidisse ei* videatur scripsisse.

5, 3 ext. 3 *dandi et accipiendi beneficii commercium, sine quo vix vita hominum †experet, tollit, quisquis bene merito parem referre gratiam neglegit.* Librorum memoria nunc constat indicari *experet,*

quod ipsum exhibet Laurentianus, Bernensis *extaret*, sed *extar* in rasura. Foertsch em. Val. III p. 18 proposuit *vix vita hominem iuvet*, Kempf olim in ed. mai. *vix* ⟨*vitalis*⟩ *vita hominum esset* (recepit Halm), nuperrime *vix vita hominum ex*⟨*tare*⟩ *potest*, uterque iusto longius a codicibus discedens. Nos in monstro illo *experet* unum verbum consistendi notione praeditum idque secundae classis syllaba *ret* terminatum latere rati hanc medelam loco desperatissimo allaturi sumus, ut scribamus *cohaeret* ('*innerlichen Halt hat*'), cuius verbi vim illustrat inprimis locus Ciceronis Tusc. 5, 28, 80 *nec enim virtutes sine beata vita cohaerere possunt nec illa sine virtutibus. Vita hominum* suspectum non est, cf. Val. 4, 7 in. *cum deserta sit futura vita hominis nullius amicitia cincta praesidio.*

5, 5, 3 *hoc exemplo vetustas, illo saeculum nostrum ornatum est, cui contingit fraternum iugum Claudiae prius, nunc etiam Iuliae gentis intueri decus.* Siquid recte de temporum usu latini sermonis sentio, *contigit* pro *contingit* scribendum est, praesertim in bipertita per *prius* ... *nunc* oratione. Idem mendum olim sublatum est 9, 12 in. *cum demum felicem fuisse iudicamus, cui et accipere lucem prospere et reddere placide contigit* (cod. *contingit*); 9, 6, 4 *Viriathi etiam caedes duplicem perfidiae accusationem recipit* pro *recepit* legendum esse Kempf et Gertz intellexere; 6, 2, 5 *huic facto persona admirationem adimit* pro *ademit* Halm coniecit probavitque nuper Kempf. Nec minus recte Kempf 7, 8, 3 scribi iubet *minus mirandum errorem muliebrem Q. Metellus facit* pro *fecit* coll. 1, 6, 8 *minus mirum in homine parum considerato temeritatem Ti. Gracchi gravissimi civis tristis exitus ... facit,* 1, 8 ext. 1 *quae minus admirabilia fere Eris* (sic optime correxit Gertz codicum lectionem *pheretris* coll. Plat. de rep. X p. 614 Ἠρὸς τοῦ Ἀρμενίου, τὸ γένος Παμφύλου) *Pamphyli casus facit,* 8, 13 ext. 5 *huius regis consummationem annorum minus admirabilem faciunt Aethiopes,* adde 9, 2 ext. 4 *etsi minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas ... facit,* quibus locis refutatur nupera Krafferti coniectura (l. c. 6) *minus mirandum errorem* ⟨*quam illum*⟩ *muliebrem Q. Metellus fecit,* in qua vel *errorem facere* pro *admittere* soloece dicitur. — In seqq. nescio an iniuria bonorum librorum lectio *die ac noctu* (vulgo *nocte*) deseratur. Livius 8, 34, 10 *interdiu nocte*, 44, 39, 8 *interdiu aut nocte* composuit, Tacitus hist. 3, 76 *noctu dieque,* quamquam ibi quoque Wurm dubitationem movit.

5, 6, 4 *Genucius laudis huius, qua maior vix cogitari potest, successionem tradit Aelio praetori. cui ius dicenti cum in capite picus consedisset, aruspicesque adfirmassent conservato eo fore ipsius domus statum felicissimum, rei publicae miserrimum, occiso in contrarium utrumque cessurum, e vestigio picum †morsu suo in conspectu senatus necavit. Qua maior vix cogitari potest* nuper Kempf sua coniectura edidit; in codd. LA est *quam aliorum excogitari impotest*, ubi *excogitandi* verbum maxime Valerio familiare attemptari non debuit (cf. 5, 4, 7. 2, 5, 6. 3, 2, 7. 9, 1, 1. 9, 1, 7. 9, 2 ext. 6. 10. 11),

quo nomine improbamus Kempfii scripturam nec non Gertzii, quam per litteras cum illo communicavit *(vix cogitari civi potest).* In *impotest* nihil inesse nobis videtur quam *non potest (ñpotest)* nec in *quam aliorum* aliud nisi *qua maior,* quod vetusto more scriptum *quamaiior* supplendi orationem tamquam manca esset causam praebuit. — In seqq. quod Aelium d e n t i b u s s u i s picum dilacerasse narratur nec alibi traditur, non potuit sibi persuadere Torrenius et *Marti suo* pro *morsu suo* scribendum duxit collatis verbis Varronis vita p. r. III apud Non. p. 518, 30 *P. Aelius Paetus cum esset praetor urbanus et sedens in sella curuli ius diceret populo, p i c u s M a r t i u s advolavit atque in capite eius adsedit;* nec Foertsch ὠμοφάγον Aelium tulit, *manu sua* corrigi iubens (em. Valer. I, 22). Sane Plinius n. h. 10, 18 (20), 41 *(ille avem protinus concerpsit)* et Ps.-Frontinus strat. 4, 5, 14 *(non dubitavit necare picum* ex certa emendatione Zechmeisteri; codd. mell. *non dubitavit de ea re pecuni)* nihil de morsu Aelii tradunt. At fieri id potuisse nemo infitias ibit. Nec aliud quidquam iustam suspicionem praebet in codicum lectione nisi pronomen *suo* additum[1]), quod facile nasci potuit geminata antecedentis vocis *morsu* terminatione (cf. 3, 3 ext. 3 *aurem eius morsu corripuit*): nam *valido,* quod attributum latere aliquando putavi, nimium distat. Ceterum *Aelio* cuidam id factum ascribit antiquissimus eius testis Varro l. c., si recte, ut videtur, Ursinus librorum Nonii scripturam *pelius paetus* correxit *P. Aelius Paetus;* sine praenomine ut Valerius *Aelium,* sed cum cognomine *Tubero* in ea gente usitato (ut *Paetus* Varronis) Plinius l. c.; in Ps.-Frontini narratione l. c. turbatum est in codd.: videtur ibi legendum, quod fere voluit Oudendorp: *C. Aelius* et in fine § subsiticia quidem (ut recte monuit nuperus editor Gundermann) *hunc quidem non C. Aelium* (codd. *C. Caelium*), *sed Laelium* (an: *Caelium?*) *fuisse et Laelios* (an: *Caelios?*), *non Aelios* (codd. *Caelios*) *periisse.* Denique quod Valerius isque solus XVII Aeliae gentis viros, h. e. Aelium praetorem cum familia (v. Ps.-Front. *C. Aelium cum familia periturum*), Cannensi proelio interfectos narrat, unum cecidisse ea pugna certo scimus e Livii 23, 21, 7 Q. Aelium Paetum pontificem, qui anno ante consulatus repulsam tulerat (22, 35, 2. cf. C. I. L. I p. 446 n.). Dubito tamen de numero occisorum, quos non *septemdecim,* sed *sedecim* fuisse conicio ex Valerii de Aelia gente narratione eiusdem temporis 4, 4, 8 *s e d e c i m eodem tempore Aeli fuerunt, quibus una domuncula erat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monumenta et unus in agro Veiente fundus* cet, quocum consentit Plutarchus Aemil. 5 ἦϲαν ἑκκαίδεκα ϲυγγενεῖϲ Αἴλιοι πάντεϲ· οἰκίδιον δὲ πάνυ μικρὸν

1) Foertschium *morsu* (om. *suo*) vel *manu sua* scribendum coniecisse Kempf perperam enarrat. Solam extremam coniecturam, quam Kempf iterum falso Torrenio tamquam primo auctori ascribit, qui potius a limine ea reiecta *Marti suo* scribendum coniecit, ille l. c. proposuit, tantum monens Valerium, si *morsu* revera posuisset, pronomen *suo* omissurum fuisse.

ἦν αὐτοῖς καὶ χωρίδιον ἓν ἤρκει πᾶσι μίαν ἑστίαν νέμουσι μετὰ παίδων πολλῶν καὶ γυναικῶν. Ex eodem utrumque fonte Valerium hausisse per se probabile est.

5, 6, 5 *P. Decius Mus ... Latino bello ... concitato equo in medium hostium agmen patriae salutem, sibi mortem petens inrupit factaque ingenti strage plurimis telis obrutus super corruit.* Pro *super* Gertz *ipse* rescribendum coniecit, Kempf *super* ⟨*eam*⟩, comparans 3, 2, 23 *super ingentem stragem, quam ipse fecerat, corruit.* At *super* adverbialiter eodem modo, quo *insuper* ('*oben drauf*'), positum non tam rarum est, quam secundum lexica nostra exspectes, vel apud bonos scriptores, velut Caesar b. c. 2, 10, 3 dicit *eo* (i. e. in capreolos) *super tigna bipedalia iniciunt,* Ovidius met. 8, 640 *membra senex posito iussit relevare sedili; quo super iniecit textum rude sedula Baucis* (vulgo continenter scribitur *superiniecit;* pro quo immerito Madvig adv. crit. I p. 68 *cui* scribendum contendit, v. verba Caesaris, quae antecedunt), quae velim conferas cum Caes. b. c. 2, 9, 3 *centones insuper iniecerunt* et Liv. 44, 5, 4 *humus insuper iniciebatur.* Contra Cic. div. I, 27, 57 *se interfectum in plaustrum a caupone esse coniectum et supra stercus iniectum;* rursus Vergilius Aen. 6, 220 *tum membra toro defleta reponunt purpureasque super vestes ... coniciunt,* Livius 22, 31, 9 *praecipue convertit omnes subtractus Numida mortuo super incubanti Romano* (cf. ib. c. 2, 8 *cumulatis in aqua sarcinis insuper incumbebant*), Prop. 4, 4, 91 *ingestis comitum super obruit armis* (Tarpeiam), Curt. 4, 3 (13), 9 *tum humus aggerabatur, superque alia strue saxorum arborumque cumulata continens opus iunxerant,* Tacitus ann. 3, 46 *incensă super ('über ihren Köpfen') villă omnes cremavit* (cf. Liv. 21, 14, 4 *domos super se ipsos concremaverunt*). Quare nihil mutatum velim, minime *ipse,* quod nec a palaeographica ratione commendatur nec loco Valeriano 3, 2, 23 supra exscripto.

5, 6 ext. 5 *Aristoteles supremas vitae reliquias vix custodiens adeo valenter pro salute patriae excubuit, ut eam ... in lectulo Athenis iacens, et quidem Macedonum manibus, quibus abiecta erat, erigeret.* Pro codicum lectione *incubuit* rectissime Kempf edidit *excubuit* ex coniectura Foertschii em. Val. II p. 25, quam Halm spreverat. *Incumbendi* verbum translata significatione non admittit *pro* praepositionem, sed *in* vel *ad* (quomodo dicit Cicero Cat. 4, 2, 4 *ad salutem reipublicae incumbere,* Valerius 8, 15 ext. 3 *eadem gens ad decorandum Amphiarum incubuit*) vel sententiam per *ut* adnexam (Val. 2, 9, 9 *omnibus viribus incubuerunt, ut digni viderentur* cet.). *Excubare* autem figurate dictum et in deliciis habet Valerius (praeter locos a Kempfio allatos v. 1, 8, 7 *pro imperio populi R. excubuisse,* 2, 2, 7 *pro commodis plebis excubabat,* 2, 7, 15 = p. 91, 22 K. *pro militari disciplina severe excubuit,* 3, 8, 7 *pro Caesaris partibus excubans*[1]))

---

1) Sen. clem. 1, 3, 3 *excubare pro salute singulorum atque universorum,* Cic. Phil. 6, 7, 18 *excubabo vigilaboque pro nobis,* Suet. Claud. 37

et quam maxime conveniat antecedenti *vitae reliquias vix custodiens.*

5, 7 ext. 1 (Erasistratus medicus insanum et clandestinum Antiochi, Seleuci regis filii, in novercam Stratonicen amorem, quo gravi morbo implicatus erat, tandem patefacit) *iuxta Antiochum sedens ut cum ad introitum Stratonices rubore perfundi et spiritu increbrescere eaque egrediente pallescere et †excitatiorem anhelitum subinde recuperare animadvertit, curiosiore observatione ad ipsam veritatem penetravit: intrante enim Stratonice et rursus abeunte bracchium adulescentis dissimulanter adprehendendo modo vegetiore modo languidiore venarum pulsu comperit cuius morbi aeger esset.* Nec *exercitatiorem*, quae est lectio codicis A, nec vulgatam *excitatiorem*, quod e Laurentiano quoque enotatum est, ferri posse, immo contrariam notionem, oppositam verbo *increbrescere*, necessario requiri Halm em. Val. p. 27 evicit. Ipse *sedatiorem* proposuit, postea Wensky coni. Val. p. X *aegerrime rariorem* (quarum tamen vocum priorem non capio), nuper Novák *tardiorem*, cuncta ut ad sententiam accommodata, ita longius a scriptura codicum recedentia. Fuitne *expeditiorem* i. e. liberiorem? Cf. Curt. 3, 5 (13), 9 *inter haec liberius spiritus meare coeperat*, 8, 5 (15), 12 *paulatim spiritus libere meare coepit.* Apponere liceat verba non iniucunda Iuliani Misopog. p. 347 B ed. Spanh. (p. 448 Hertl.), quibus is et quidem prolixissime omnium condicionem iuvenis amore depereuntis descripsit: ἡ (Στρατονίκη) δ' ὡς ἦλθεν, ἐπισκεψομένη δῆθεν αὐτόν, αὐτίκα ἐδίδου τὰ συνθήματα τοῦ πάθους ὁ νεανίας, ἆσθμα τῶν θλιβομένων ἠφίει (ἐπέχειν γὰρ αὐτὸ κινούμενον καίπερ σφόδρα ἐθέλων οὐχ οἷός τε ἦν), καὶ ταραχὴ ἦν τοῦ πνεύματος καὶ πολὺ περὶ τὸ πρόσωπον ἐρύθημα. ταῦτα ὁρῶν ὁ ἰατρὸς προσάγει τῷ στέρνει τὴν χεῖρα, καὶ ἐπήδα δεινῶς ἡ καρδία καὶ ἔξω ἵετο. τοιαῦτα ἄττα ἔπασχεν ἐκείνης παρούσης· ἐπεὶ δ' ἀπῆλθεν, ἐπιόντων ἄλλων, ἀτρέμας εἶχε καὶ ἦν ὅμοιος τοῖς οὐδὲν πάσχουσιν, similiter Lucianus Syr. 13 ὁ δὲ τῶν ἄλλων εἰσιόντων πάντων ἐν ἠρεμίῃ μεγάλῃ ἦν· ὡς δὲ ἡ μητρυιὴ ἀπίκετο, τήν τε χροιὴν ἠλλάξατο καὶ ἱδρώειν ἄρξατο καὶ τρόμῳ ἔχετο καὶ ἡ καρδίη ἀνεπάλλετο. Et haec duo testimonia Kempf in ed. mai. praetermisit et Aristaeneti 1, 13, Suidae s. v. Ἐρασίστρατος, Steph. Byz. s. v. Λαοδίκεια. Ceterum mirum est, cum Valerius Maximus scribat rem detectam esse arte *Leptinis mathematici, vel ut quidam tradunt, Erasistrati medici,* ad unum omnes scriptores Erasistratum nominare.

5, 9, 4 *qui* (ignotus pater) *cum a filio insidias sibi necti conperisset nec inducere in animum posset, ut verum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet* cet. In quibus *ad hoc sceleris* vulgo ex dett. codd. editur. Sed aliud monstrat et Valerii usus loquendi et

---

nec dubitavit Claudius liberto (qui somnio adductus eum de conspiratione quadam monuerat) *gratias agere, quod pro salute sua etiam dormiens excubaret.*

codicum bonorum memoria, qui *ad hunc sc.* habent. Scribendum enim est *huc sceleris* abiecto *ad,* quod prave additum est, postquam *huc* in *hunc* depravatum est, quod factum videmus 9, 3, 2 in LA. De locutione cf. 3, 8, 3 *ut huc indignitatis veniretur*, 8, 1 abs. 6 *huc deductum necessitatis,* 3, 7, 1 d *neque enim huc puto [eo] malignitatis ventum,* ubi qui *huc* potius quam *eo* attemptat (Foertsch em. Val. II p. 19 *hic*) Valerii stilo non satis facit. Vides autem falli Krebsium in 'antibarbaro' s. v. *huc* (I p. 605 ed. VI cur. Schmalzio) narrantem illum usum nonnisi in Taciti et Curtii scriptis reperiri.

5, 10, 1 haec de Horatio Capitolinum aedem dedicante leguntur: *Horatius Pulvillus, cum in Capitolio Iovi O. M. aedem pontifex dedicaret interque nuncupationem sollemnium verborum postem tenens mortuum esse filium suum audisset, neque manum a poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet, neque vultum a publica religione ad privatum dolorem deflexit, ne patris magis quam pontificis partes egisse videretur.* Paris epitomator Horatium audita morte filii dicentem facit: *tolle, inquit, cadaver* consentiens cum reliquis fere eius rei auctoribus, Livio 2, 8, 8, Plutarcho Puplic. 14 aliis[1]), eaque verba olim edd. vett. post *audisset* Valerii verbis inseruerunt. Bergk quoque p. VIII narrationem imperfectam ratus nec Paridem ista suopte ingenio addidisse, sed in suo exemplo Valeriano reperisse, post *videretur* obliqua oratione addi iubet *sed cadaver tolli iussit,* similiter nuper Gertz *sed tantum cadaver efferri iussit* post *deflexit*, hic certe alieno loco, interrumpens scilicet membrorum aequalitatem. Nobis recte Kempf dubitare videtur an epitomator ex alio fonte haustum illud dictum huc transtulerit, quem ipsum Livium fuisse putamus, e quo multa sumpsisse Kempf ed. mai. p. 42 exemplis probavit. Nam Valerium Livium auctorem non secutum esse eo apparet, quod Horatium hic consulem, ille pontificem dicit. Iam recognosce mecum quae Seneca ad Marc. c. 13 scribit: *Pulvillus pontifex, cui postem tenenti et Capitolium dedicanti mors filii nuntiata est, quam ille exaudisse dissimulavit, et solemnia verba concepit gemitu non interrumpente precationem et ad filii sui nomen Iove propitiato:* nonne prorsus concinit cum Valerio et pontificem Horatium vocans nec vocem istam agnoscens? Quid quod Cicero quoque oratione quam de domo sua ad pontifices habuit 54, 139 Horatium pontificem dicit? Quid probabilius, quam utrumque eodem fonte, quo Valerius, usum esse?

5, 10 ext. 1 *Pericles intra quadriduum duobus mirificis adulescentibus filiis spoliatus his ipsis diebus et vultu pristinum habitum retinente et oratione nulla ex parte infractiore contionatus est. ille vero caput quoque solito more coronatum gerere sustinuit, ut nihil ex vetere ritu propter domesticum vulnus detraheret.* Quod Foertsch em. II p. 26

1) Kempf in ed. mai. omisit testimonia Hieronymi epit. Nepot. opp. tom. I p. 335 (ex Cic. de consol.) et Dionis exc. Peiresc. 25.

imo vero pro *ille vero* scribendum putat, Valerii locutionem ignorat, quam declarabunt hi loci: 6, 8, 1 *cuius* (M. Antonii oratoris) *in iudicio accusatores servum in quaestionem postulabant. erat autem is etiam tum imberbis et stabat in corona videbatque rem ad suos cruciatus pertinere, nec tamen eos fugitavit. ille vero, ut domum quoque ventum est, Antonium hoc nomine vehementius confusum ultro est hortatus, ut se iudicibus torquendum traderet,* 3, 2, 21 *idem* (Q. Occius) *Pyrresum nobilitate ac virtute omnes Celtiberos praestantem, cum ab eo in certamen pugnae devocatus esset, succumbere sibi coegit. nec erubuit flagrantissimi pectoris iuvenis gladium ei suum et sagulum utroque exercitu spectante*[1]) *tradere, ille vero etiam petiit, ut hospitii iure inter se iuncti essent, quando inter Romanos et Celtiberos pax foret restituta;* 9, 3, 5. 9, 5, 3.

5, 10 ext. 2 (de sacrificantis Xenophontis ad mortui filii Grylli nuntium constantia) *alius removisset hostiam, abiecisset altaria, lacrimis respersa tura disiecisset: Xenophontis corpus †religioni immobile stetit et animus in consilio prudentiae stabilis mansit ac dolori succumbere ipsa clade, quae nuntiata erat, tristius duxit. Relegioni* L, *religioni* A exhibet, uterque liber ita, ut syllaba *le* s. *li* supra lineam scripta sit incertum an prima manu. Quod adhuc vulgabatur ex dett. codd. *religione* sic nude positum vehementer offendit et recte iam Kempf intellexit debuisse saltem scribi *religionis instinctu* vel *impulsu* (magis ex usu Valeriano erat *beneficio;* cf. 4, 1, 13 *adeo moderationis beneficio medius semper inter secundas et adversas res animi firmitate versatus est;* 4, 3, 6 *continentiae suae beneficio;* 3, 3 ext. 5; 6, 9, 7). Sed omnino religionis vocem ab hac sententia alienam esse Madvig adv. crit. II p. 326 recte iudicat, quae vox in tali corporis et animi divisione ad animum non ad corpus pertineat. Itaque cum ea ipsa primitus in codicibus scripta fuisse non videretur, sed *regionis,* correxit *corpus regione immobile stetit,* id vocabulum de loco et statu intellegens. Quod nobis admodum verisimile videtur. Nam quod Halm nov. ann. phil. 1874 p. 404 illud *regione* satis otiose addi iudicat, aliter sentimus memores versuum Lucilii sat. V, quos Nonius p. 173, 17 servavit (Lucil. fr. 171 Lachm.):

si tam corpu' loco validum ac regione maneret,
scriptoris quam vera manet sententia cordi.

Contendit Valerius statum immobilem corporis cum animi prudentia et consilio stabili. Similiter 3, 2, 23 dicit *immobilem stationis gradum retinere.* Quod autem idem vir doctus *corpus religioni immobile stetit* tuetur interpretando *'der Körper blieb unverrückt zur Begehung der heiligen Handlung' (religioni = rei sacrae faciendae),* meo quidem sensu leges sermonis vix admittunt, ut aliter illa verba intelle-

1) Stanger apud Halmium maluit *inspectante* coll. § 24 *inspectante utroque exercitu;* cf. tamen 5, 2, 5 *spectante populo Romano.* Cum Valerii libris Paris consentit.

gantur atque *corpus adversus religionem immobile*, h. e. *religione immotum, stetit* (ut dicit Tacitus ann. 6, 10 *immobilis invidiae*), sententia prorsus aliena ab hoc loco.

6, 1, 2 *cum App. Claudius decemvir filiae eius virginis stuprum potestatis viribus fretus pertinacius expeteret* cet. Recte Kempf *virginis* reduxit Bernensis alteram manum secutus, qui prima habet ut Laurentianus *virgini, s* littera absorpta sequentis vocis initio; Halm vocem expunxerat, Kellerbauer *Verginiae* suaserat. Et Cicero, quem Kempf advocat, in eadem re de fin. 2, 20, 66 *filiam virginem* posuit, et Valerius ipse eius usus exempla subministrat, ut 5, 1 ext. 2 *filiae eius virginis* (isdem verbis ut supra), 9, 6, 1 *cuius filiam virginem*, 4, 4, 10 *filiam virginem adultae iam aetatis*, 6, 3, 6 *sororem virginem*, alii scriptores, velut Nepos Att. 19, 4 *virginem filiam*, Livius 24, 26, 2 *cum duabus filiabus virginibus*, Curtius 4, 10 (41), 19 *virginum filiarum*, 4, 11 (43), 6 *duas virgines filias*, 8, 5 (16), 25 *duas filias virgines*, Quint. inst. or. 9, 2, 70 *filiae virginis amore*, Iust. 38, 8, 5 *filia virgo* cet. Similiter 8, 1 abs. 12 *ob amorem pueri servi*, ubi cum Paris *pueri eius* habeat, *servi* valde suspectum sibi esse Kempf dicit; v. tamen 1, 1, 16 *puerum histrionem*.

6, 1, 7 *constat iuvenem productum in rostra defixo in terram vultu perseveranter tacuisse.* Ablativum *terra*, qui est 8, 7 ext. 7 *oculis in terra defixis*, hic quoque Novák reponendum putat, quod verum videtur Kempfio. Sane is casus usitatior est; accusativus tamen legitur Quint. 11, 3, 158 *oculis in terram defixis*, Liv. 9, 7, 3 *fixos in terram oculos*, Tac. hist. 4, 72 *fixis in terram oculis*, active Sen. ep. 1, 11, 7 *figunt in terram oculos* et Curt. 9, 3 (11), 1 *illi metu attoniti in terram ora defixerant.*

6, 1, 10 *C. Pescennius IIIvir capitalis C. Cornelium fortissimae militiae stipendia emeritum ... publicis vinculis oneravit.* Quod LA habent *triumvir̄. c.* nescio an interpretandum sit *triumvirum capitalium.* Nam primitus sic Romanos esse locutos multis certisque exemplis ex titulis optimisque libris probavit Buecheler M. Rh. XI (1857) p. 527, e quibus satis habemus duo promere: Or. inscr. 2375 *C. Bellicus Natalis XVvir. Flavialium*, Gell. 1, 12, 6 *cuius pater flamen aut augur aut septemvirum epulonum aut Salius est.*

6, 1, 11 *Libidinosi centurionis supplicium M. Laetori Mergi tribuni militaris aeque †similis foedus exitus sequitur.* Nemo *aeque similis foedus exitus* pro *prorsus similiter foedus ex.* recte latine dici Torrenio credidit, ne Foertsch quidem, qui em. Val. II p. 26 sq. cum distinguendo adiuvare orationem studeret: *M. Laetorii Mergi tribuni, militaris* (h. e. viri militaris) *aeque, similis foedus exitus*[1]), mendum reliquit: neque enim *similis foeda res* latinum est (alius generis est quod legitur 6, 5, 5 *ad alium aeque inlustrem actum*). Vulgatam

1) Errore Kempf Foertschium sic verba distinguentem facit: *Mergi, tribuni militaris aeque, similis f. e.*

obtinuit usque ad Halmium Lipsii scriptura molestam vocem *similis* tamquam glossam delentis, quae tamen unde orta sit, parum patet. Gertz l. c. p. 283 *aeque similis* ⟨*facti*⟩ *foedus exitus* legendum proposuit, nimium contorta verborum collocatione. In his autem scripturis omnibus illud quoque parum intellegitur, cur exitus tribuni, qui fuga prius deinde morte voluntaria iudicio se subtraxerit, *foedus* dicatur. Quod incommodum vitatur, si ex Kempfii coniectura verba *aeque .. foedus* ut glossematicos voci *similis* ascripta delentur, quae tamen rursus quo consilio adiecta sint aegre explicabis. Itaque aliquanto praestat quod Wensky coniect. p. X temptavit *aeque libidinis foedae,* iure desiderans attributum aliquod, quo sordidum ingenium tribuni notetur. Sed minus audacter eadem sententia efficitur transpositione adhibita *tribuni militaris aeque foedi similis exitus. Aeque* et *similis* composita sunt ad eum modum, quo 6, 2, 3 *et similiter adgressa et aeque experta patientem est* (sc. populum libertas clarorum virorum), similiter 6, 3, 1 c *eadem ausum Sp. Maelium consimili exitu patria multavit. Foedi* autem postquam ante *exitus* traiectum est librarii errore, proclive erat terminatione ad *exitus* accommodari.

6, 2, 3 *nec timori datum est silentium* (plebis ad libera Scipionis de Ti. Gracchi morte verba), *sed, quia beneficio Aemiliae Corneliaeque gentis multi metus urbis atque Italiae finiti erant, plebs Romana libertati Scipionis libera non fuit.* Madvig adv. crit. II p. 326 iudicat perverse dici *libertati alicuius liberum esse* ac scribendum duxit *libera favit* deleta negatione. Equidem tradita verba defendi posse puto. Si quid video, scriptor sententiam cum vellet hanc: propter ingentia beneficia Aemiliae Corneliaeque gentis plebs libertati (i. e. liberis conviciis) Scipionis *obnoxia* fuit, lusurus in varia *libertatis* notione negativo modo extulit *libertati libera non fuit,* vel ut aliter reddamus, ingentibus meritis suis liberum non reliquit Scipio Romanis quicquam adversus libertatem suam dicendi aut faciendi, quomodo similiter ex parte Valerius 7, 3, 7 loquitur *ita liberum his non reliquit id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse iudicaverant.* (Liv. 31, 7, 2 *neque enim liberum id vobis Philippus permittet.*) Similiter dativum posuit Iuvenalis 9, 122 *deterior tamen hic, qui liber non erit illis, quorum animas et farre suo custodit et aere* i. e. deterior dominus est servis suis obnoxius.[1]) Quare fallitur Madvig quod eam structuram pravam dicit.

6, 2, 8 *obducta iam vetustis cicatricibus bellorum civilium vastissima vulnera ... impune renovare licuit municipali homini* (Helvio Manciae seni, qui Pompeio carnificinam clarissimorum virorum exprobrare audebat). In his *renovare* pro codicum lectione *revocare* ex Lipsii coniectura, quam Halm quoque em. Val. p. 27 invenit, Kempf

1) Paulo alia ratio est dativi in verbis Livii 26, 38, 2 *spei liberam vel obnoxiam timori,* sed eius quoque causam praebuit adiectivi *obnoxius* structura.

edidit. Equidem praetulerim verbum *refricare*, ut quod in eodem simili versetur. Conferas velim locum simillimum Ciceronis leg. agr. 3, 2, 4 *caput est legis quadragesimum, de quo ego consulto, Quirites, neque apud vos ante feci mentionem, ne refricare obductam iam rei publicae cicatricem viderer;* p. Flacc. 23, 54 *quo cum venisset Laelius ad iratos et illud Castricianum vulnus dicendo refricuisset;* ad Att. 5, 15, 2 *Appii vulnera non refrico.* Ciceroniani floris ac coloris imitator Valerius in quavis pagina reperitur, cuius rei supra p. 588 luculentum exemplum posuimus, codicum ita memoriam tutatus.

6, 2, 9. *Diphilus tragoedus, cum Apollinaribus ludis inter actum ad eum versum venisset, in quo haec sententia continetur 'miseria nostra magnus est'* cet. In his *in* praepositionem Paris non habet et Halm em. Val. p. 11 eum secutus seclusit, quod verum videtur Kempfio. Unum novi locum similem Livii 39, 18, 3 *precationes, in quibus nefaria coniuratio continebatur,* vulgari usu sine praepositione Valerius 3, 7, 1 d *librum, quo acceptae et expensae summae continebantur,* Quintilianus inst. or. 10, 1, 47 *nonus liber, quo missa ad Achillen legatio continetur,* 5, 10, 111; Iust. praef. 2 *cuius libris omnium saeculorum — res gestae continentur,* 12, 1, 4 *epistulae quibus bellum Agidis regis Spartanorum . . . continebatur:* quare fallitur Krebs in 'antibarbaro' s. v. *continere* vol. I[6] p. 321, deceptus fortasse Klotziano lexico illum usum ignorante, quod in ea significatione verbi *continere* activam structuram solam locum habere dicit, cuius duobus exemplis a Krebsio allatis (e Cicerone or. 43, 148 *talibus rebus, quales hic liber continet* et Plinii ep. 5, 21 (9), 1 *litterae tuae partim laeta partim tristia continebant*) addi possunt Nep. Cat. 3, 3 *primus* (liber) *continet res gestas regum populi Romani,* Val. Max. 1, 1, 13 *librum secreta rituum continentem,* 6, 2, 5 *tabellae Cn. Pompei laudationem continentes,* 6, 4, 3 *tabellas senatus consultum continentes;* Flor. 2, 32 (p. 120, 18 Iahn) *libellum thensaurorum rationes continentem.*

6, 3 praef. *armet se duritia pectus necesse est, dum horridae ac tristis severitatis acta narrantur, ut omni mitiore cogitatione seposita rebus auditu asperis vacet: ita enim destrictae et inexorabiles vindictae et varia poenarum genera in medium procurrent, utilia quidem legum munimenta, sed* cet. Non temere Kempf in voce *ita* haeret et dubitanter *iam* legendum pro ea proponit. Emendandi viam patefacit Laurentianus liber, qui prima manu scriptum habet *ira:* una litera geminata legendum videtur *irae enim destrictae et inexorabiles vindictae* cet. (similiter 3, 1, 1 *arma enim infesta et destricti gladii et discursus telorum* cet.). *Iram destringere* Valerius dixit 2, 7, 15 (p. 90, 22 K.); 7, 5, 2; 9, 2, 2. Cf. etiam quae Kempf in ed. mai. ad 2, 9, 6 de vocis *destrictus* (i. q. rigidus, acer) apud Valerium usu adnotavit.

6, 3, 10 (C. Sulpicius Galus) *uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognoverat, abscisa sententia, sed tamen aliqua*

ratione munita. Extremam vocem *munita* Kempf scripsit codices deterioris notae C E F secutus; in melioribus est *mota*, quod Halm retinuit, vix tamen probum est: nam sententia non movetur ratione (saltem non eo sensu, quem huius loci condicio flagitat), sed ratione movemur ad aliquam sententiam ferendam, et longe aliter dicimus velut *sententiam ratione non destitutam.* Sed *munita,* quod coniecturae manifesto debetur, num verum sit addubitamus, et opponimus faciliorem hanc, ut scribamus *motus,* verbum codicibus traditum retinentes, quod in simili re Valerius posuit de Sp. Carvilio primo repudii auctore 2, 1, 4 *quamquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione non caruit.*

6, 5, 5 *cuius* (M. Scauri) *opprimendi cum summa cupiditate flagraret, servus Scauri noctu ad eum pervenit, instructurum se eius accusationem multis et gravibus domini criminibus promittens. erat in eodem pectore et inimicus et Domitius [et dominus], diversa aestimatione nefarium indicium perpendens. iustitia vicit odium* cet. In his qui inseruit ⟨*et*⟩ ante *inimicus* Gertz, et delevit verba *et dominus* in A m. 2 punctata Perizonius, reliquerunt mendum in voce *perpendens:* aut fallor aut numerus plurativus in hac orationis conformatione flagitatur, aliter enim dicendum erat *sua quisque aestimatione . . . perpendens.*

6, 5 ext. 3 (Zaleucus Locrensium legum lator) *ad ultimum populi precibus evictus suo prius, deinde filii* (adulterii crimine damnati utroque oculo carere debebat) *oculo eruto . . . debitum supplicii modum legi reddidit, aequitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem et iustum legislatorem partitus.* Pro *legislatorem* Paris epitomator *legum latorem* habet, quod Kempfio ne memoratu quidem dignum visum, nobis usu loquendi maxime commendari videtur, quo *legis lator* dicitur qui legem fert (ut Cic. p. Mil. § 23 *lator ipse legis*), contra qui leges civitati alicui condidit, numquam ne ab infimae quidem aetatis scriptoribus aliter vocatur ac *legum lator.* Itaque quoniam hoc loco generatim dicendum erat, Paridis lectio minime contemnenda est. *Legum lator* reperio apud Livium 34, 31, 18 *Lycurgus noster legum lator* (verba sunt Nabidis tyranni), 3, 58, 2 *App. Claudius legum lator conditorque Romani iuris,* Quintilianum inst. or. 3, 2, 4 *conditoribus urbium ac legum latoribus,* 7, 1, 52 *redeundum ad animum legum latoris,* Ampelium l. mem. 14, 2 *Lycurgus legum lator* (quod unum testimonium habet Georges lex. s. v. *lator* ed. VII), denique Paris 6, 5 ext. 4 *Charondas Thuriorum legum lator* et 7, 2 ext. 2 *Solo legum lator*, quibus locis cum illa vox a Valerio absit, facile apparet, quid fidei habendum sit abbreviatori eidemque interdum amplificatori scribenti 8, 12, 1 *Q. Scaevola legum certissimus lator,* cum in Valerii libris sit *legum clarissimus et certissimus vates* (i. e. *interpres*). Cicero rep. 5, 2, 3 *legum scriptorem* Numam appellat, quaesitius Tacitus ann. 3, 26 praecipuum *sanctorem legum* Servium Tullium.

6, 8, 4 *tu profecto tunc, dive Iuli, caelestibus tuis vulneribus debitam exegisti vindictam, perfidum erga te caput* (Cassium) *sordidi*

a u x i l i i (Pindari liberti) *supplex fieri cogendo.* Wensky nov. ann. phil. 1884 p. 787 *mancipii* pro *auxilii* scribendum sibi videri dicit, nescio qua re offensus: nam *supplex auxilii* tam recte dicitur quam *supplex misericordiae vestrae* a Cicerone p. Cael. 32, 79.

7, 2, 4 (L. Fimbria) *M. Lutatio Pinthiae iudex a d d i c t u s*[1]) *de sponsione, quam is cum adversario 'quod vir bonus esset' fecerat, numquam id iudicium pronuntiatione sua finire voluit* cet. Vulgabatur *a M. Lutatio Pinthia iudex aditus* ex Cuiacii coniectura usque ad Halmium, qui (cf. em. Val. p. 12) verissime Paridis codicis et Valerii librorum vestigia secutus edidit, sicut supra scriptum e Kempfii exemplo sumpsimus. Deinde in sponsionis verbis Halm Paridis epitomen et libros Ciceronis off. 3, 19, 77, unde sua Valerius hausit, secutus *n i* scripsit, Kempf retinuit Valerii codicum lectionem certe rariorem *q u o d* collato loco 6, 1, 10 *sponsionem facere q u o d adulescens ille palam atque aperte corpore quaestum factitasset,* ubi iterum Halm l. c. *ni* maluit. Nos ita sentimus, utrum Valerius scripserit diiudicari non iam posse: Cicero p. Caec. 16, 45 *sponsio n i adversus edictum praetoris vis facta esset,* sed Gaius 4, 166 in eadem formula *q u o d* posuit.

7, 3, 3 (Scipio superior) *ex his iuvenibus, quos secum tota Sicilia nobilissimos et divitissimos sed i n e r m e s habebat, trecentos speciosa arma et electos equos quam celerrime expedire iussit, velut eos continuo secum ad oppugnandam Carthaginem avecturus.* Perverse opponi armorum defectum nobilitati atque opulentiae iuvenum, quos inbelles ac timidos infra Valerius dicit, Gertz sensisse videtur et per litteras Kempfio indicavit *inertes* legendum, quod verum videtur Kempfio. Non minus facile, sed ad loquendi usum Valerianum paulo propius *e n e r v e s* efficitur, cf. 6, 4, 2 *Scipio Aemilianus cum haberet consortem censurae Mummium, ut n o b i l e m, ita e n e r v i s vitae,* 9, 1 ext. 6 *tam enerves animi spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt,* 9, 13 praef. *enerves et effeminatos,* 3, 7, 15 *sic enervis animos odisse virtus solet,* 3, 5, 3 *enervem et frigidam iuventam egit.* — Extremam exempli sententiam *ergo calliditas ducis* (remittentis expeditionem si arma equosque militibus suis tradidissent) *providit, ut † si quod protinus imperaretur, grato prius deinde remisso militiae metu maximum beneficium fieret* defectu complurium verborum depravatam recte Kempf intellexit

1) Is usus verbi *addicendi,* quod codices Valerii praebent, constat etiam ex Senecae ep. 65, 2 *te arbitrum addiximus* et Dig. 5, 1, 39, 46. Idem verbum pro tradito *adducere* restitui iusserunt duobus Valerii locis 8, 2, 2 *de qua re C. Aquilius iudex a d d u c t u s* Vorstius et 8, 2, 1 *Calpurnius Catonem arbitrum cum Claudio a d d u x i t* Cuiatius (deleto *cum*), cuius ratio probata est Gertzio l. c. p. 290 nec Kempfio, qui quidem crucem verbis *cum Cl. add.* praefixit, improbabilis videtur. Altero hoc loco Paris *sumpsit* (ut est Val. 8, 2, 3 *C. Titinus sumptus inter eos iudex*) pro *adduxit* habet, quae locutio codicibus tradita, etiamsi aliunde nota non est, fortasse ea, qua Cicero Valerii h. l. auctor utitur, *arbitrum illum a d e g i t,* defendi poterit.

et transpositis ex Perizonii coniectura verbis *si quod* sic explendum censuit: *gra⟨ve onus fuisset, excita⟩to prius, deinde remisso militiae metu* cet., similiter Halm (em. Val. p. 13) voce *onus* omissa scribens *intento* pro *excitato*. Nobis aptius et ut scribae aberratio appareat *monstrato* scribi videtur. Scipio primum ostendit imbelli iuventuti militiae metum, deinde rursus removit. Similiter Cicero Verr. 4, 34, 75 *populo Romano non metum belli, sed spem triumphi ostendere.*

7, 3, 4 *Quod sequitur narrandum est. Q. Fabius Labeo* cet. Iure Gertz l. c. p. 286 tam ineptum orationis transitum, etiam alienum a consuetudine Valerii comparationem fere instituentis vel iudicium aliquod ferentis (v. exordium subsequentis exempli: *nam M. Antonio remittendum convicium*) ferri posse negavit; quem quidem transitum priores editores interpretatione tuebantur de suo, ut fit, adicientes. Itaque *invito* (sc. mihi) ante *narrandum* inserendum proposuit, similiter Kempf nov. ann. phil. 1886 p. 57 *non sine rubore* vel *reprehensione*. Wensky coniect. p. XII *narrandum* depravatum esse ratus *vituperandum* coniecit. Paulo propius accedere puto *damnandum* s. *non ferendum* (*ñferendum*): cf. 9, 15, 1 *quod sequitur impudentiae genus nec ferendum ullo modo* cet., Cic. off. 1, 10, 33 *ne noster quidem probandus, si verum est Q. Fabium Labeonem* (e quo h. l. hausit Valerius). — In sequentibus verbis *utrosque* (Nolanos et Neapolitanos de finibus inter se disceptantes) *separatim monuit, ut omissa cupiditate regredi †modo controversia quam progredi mallent* corrupta verba *modo contr.* varie temptata sunt a prioribus criticis, quorum conamina vide in Kempfii editione. Kempf nuper et *modo* et *controversia* suspectum sibi esse dixit. Sed utut de voce *controversia* iudicatur, quam in A punctatam Gertz apud Madvigium adv. crit. II p. 238 deleri iubet, *modo* a Valerio positum fuisse credo eodem sensu, quo 5, 6 ext. 4 in simili re *cum inter Carthaginem et Cyrenas de modo agri pertinacissima contentio esset*, 5, 2 ext. 4 *beneficio Scipionis et persuasu*[1]) *regni modo liberalius auctus* (Masinissa), nec obstat, quod Cicero l. c. nihil habet nisi *ut regredi quam progredi mallent* ac ne Paris quidem. In hoc quod legitur *regredi magis quam progr. mallent* miror Gertzium *m*^o (h. e. *modo*) *agri* pro *magis* scribendum iudicare idque Kempfio probabile videri. Eodem enim modo epitomator 5, 1, 3 verbis Valerianis de suo *magis* addidit: *monere ingratum magis quam vincere*

1) Quam vocem fere singularem Halm et Kempf ex paucis dett. codd. sumpserunt, indicari rati Scipionem etiam in senatu suasorem eius muneris extitisse, in codd. L A[1] *per sua* legitur (*p∗uasi* A[2]), quod rectius et a locutione et ab historica fide (cf. Liv. 30, 44, 12 sq.) Perizonius emendabat *p. r. iussu* i. e. *populi Romani iussu*. Et *populum Romanum* hic memoratum fuisse a Valerio et delitescere in voce *per* nobis quoque probabile admodum videtur (cf. quae sequuntur *amiciorem Corneliae familiae atque urbi Romanae et unum in terris populum Romanum et unam in populo Romano Scipionis domum nossent*), sed *sua* quomodo emendandum sit, non invenio (an: *cura?*).

maluit, posteriore[1]) usu loquendi, quem Gertz saepius corrigere quam agnoscere maluit. Velut 5, 5, 1 correxit *in Asiam iturum esse promisit* pro *iturum repromisit* (Valerius: *iturum promisit*), relinquens tamen 6, 5, 1 *repromisisset* (Val. *pollicitus est*) verbum e Suetonio et ecclesiasticis scriptoribus pro simplici enotatum. Nec magis recte Gertz Par. 2, 8, 1 *ne quis triumpharet, nisi qui quinque milia una acie fudisset* temptavit *concidisset* pro *fudisset* (Val. *cecidisset*): Nepotianus in eadem re c. 17, 1 (p. 621, 8 K.) *stravisset* posuit, ut c. 20, 3 *hostem stravit* pro Valeriano *h. interemit,* idem *fundendi* verbo usus c. 7, 7 *eo proelio fusa sunt Romanorum milia* XV, quamquam ibi quoque ex Mai sententia Halm et Kempf correxere *caesa,* quod habet Valerius in eadem re 1, 6, 6. Qui *fundendi* verbi usus cernitur e poetis, velut ex Ovidii met. 5, 141 *Clytiumque Claninque . . . diverso vulnere fudit,* 12, 292 *puero quae gloria fuso parta tibi est,* e Vergilio Aen. 9, 590 *celerem intendisse sagittam fortemque manu fudisse Numanum,* vindicandus autem est fortasse vel Tacito, si recte hist. 4, 33 Mediceus tradidit *fortissimus quisque e Batavis funduntur:* nam quidquid substituerunt, Halm *conciduntur*, Nipperdey *trucidantur,* nuper Io. Müller *confodiuntur,* omnia ab arte aeque veri dissimilia sunt. Etiam Ammianus 24, 2, 14 *cum certaretur asperrime multique funderentur altrinsecus.* Sed diligentius locutionem Paridis infra persequemur.

7, 3, 10 *his uno adiecto levioris notae exemplo ad externa revertar. Revertendi* verbo locum hic non esse sensit Kempf ac verum iudicavit, quod in codice Leidensi Torrenii proiatum est, *devertar.* Sed nec id aptum videtur et longius abest *convertar,* quod margo A habet. Puto *praevertar,* cf. Plin. n. h. 28, 9 (33), 123 *hactenus de externis. nunc praevertemur ad nostrum orbem,* Plin. ep. 5, 15, 7 *in infinitum epistulam extendam, si gaudio meo indulgeam. praevertor ad ea, quae me, agentem hic, nuntius deprehendit.* Etiam Curt. 7, 1 (3), 26 codd. *revertar* praebent praeter optimum Parisinum. Plura exempla lexica suggerunt.

7, 4 praef. *illa vero pars calliditatis egregia et ab omni reprehensione procul remota, cuius opera quia appellatione vix apte exprimi possunt, Graeca pronuntiatione strategemata dicantur.* Manifestum orationis defectum ut sarcirent, *nostra* s. *latina* (quae iam in dett. codd. leguntur) s. *vernacula* alii alio loco inseruerunt, hoc omnium pessime: quis enim umquam scriptor latinus *vernaculum sermonem*

1) Primus sic Ulpianus, ut videtur, scripsit Dig. 17, 2, 25, 10. Nam et apud Livium 22, 34, 11 hodie optimus quisque editor ex Kiehlii coniectura scribit *qui mature* (codd. *magis vere*) *vincere quam diu imperare mavult* et apud Ciceronem Tusc. 1, 31, 76, qui locus vulgo advocatur, tota orationis conformatio *magis* flagitat: *quam* (consolationem) *cum lego nihil malo quam has res relinquere, his vero modo auditis multo magis.* Contra *potius* iam Cicero addit div. in Caec. § 21 (fallitur de unico quem affert loco p. Lig. § 5 Georges lex. s. v. *malo*), Nepos Con. 5, 2, Val. Max. 7, 6 ext. 3 (4, 1, 5 *potius . . . praeoptavit*).

similiaque, quae nostrates inveterato usu propagare solent[1]), pro *patrio* s. dixit? Contra quos iure Wenskyo coni. p. XIII parum verisimile videtur Valerium negasse notionem strategematon latine apte exprimi posse, immo ⟨*una*⟩ *appellatione apte exprimi posse* idque restituendum putavit collatis verbis Frontini, quo quidem constat Valerium usum esse (v. Kempfium ed. mai. p. 44), strateg. praef. *sollertia ducum facta, quae a Graecis una* στρατηγημάτων *appellatione comprehensa sunt.* Sed quia tum rursus aegre desideratur latini sermonis Graeco oppositi mentio, quam solam priores critici inserebant, malim hanc orationis formam, qua simul origo defectus apte explicatur: *appellatione* ⟨*una latine*⟩, nisi praeferas *appellatione* ⟨*una nostro sermone*⟩ *vix apte exprimi possunt.* Similiter aberratum est 4, 4 praef. *Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita ornamenta sua pulcherrima illius saeculi ostenderet, traxit eam sermone, donec e schola redirent liberi, et 'haec', inquit, 'ornamenta sunt mea': donec* enim recte sumpsit Kempf ex margine codicis Laurentiani, cum antea vulgaretur *dum,* quod nec dicendi usu Valerii commendatur, qui *dum* coniunctionem aliter ponit (v. 3, 2 ext. 2; 6, 2, 8), nec palaeographicis rationibus. Nimirum quod in LA habetur *sermone**, in rasura *c* litteram fuisse, oculis librarii aberrantibus sic: *serm*⟨*one d*⟩*onec,* tam certum habeo quam in A 9, 14 ext. 2 **oris* litteram *h* erasam aut 9, 2, 1 *sal***tem* litteram *u* aut 3, 2, 4 **equitum* litteram *a.*

7, 6, 1 *ex Apulia etiam et Paediculis septuaginta atque CC ad supplementum equitatus sunt empti* (servi). Pro *Fidiculis,* qui nullus est Italiae populus, Cluverius *Poediculis* scribi iussit, quod nunc fere confirmatur margine codicis A et Paridis Vaticano, quorum scripturam *Paediculi* Kempf sequitur. Sed *oe* diphthongum alibi codices tradunt, ut Plin. n. h. 3, 12 (16), 102 *Poediculorum,* 3, 5 (6), 38 *Poeduculi,* Strab. 6, 7 (p. 388, 21 Mein.) Ποιδίκλους, quocum fere facit App. b. c. 1, 52 Ποδίκλους. Nomen depravatum est Iust. 12, 2, 12 in *peditulis* s. *fidiculis* (codex Lipsiensis ut libri Valerii). In universum de nominum propriorum scriptura boni codices Valerii consentiunt cum optimo quoque et antiquissimo aliorum scriptorum libro, velut praebent *Athesis*[2]) (non *Atesis*), *Tarracina* non (*Terracina*),

---

1) Dies deficiat, si quis velit notare, quaecumque in eo genere peccantur, velut hereditate accepta, non solum in libellis dissertationibusque: velut veteribus ipsis obtrudunt usum verbi *praecundi,* qui nullus est (pro eo quod est *exemplum praebere*) Eberhard (Zeitschr. f. Gymn. 1866 p. 162) Valerio 3, 2, 7 (cf. supra p. 593 n.) *ut plebi ad fortius sustinendos casus suos* ⟨*praeirent*⟩, Sirker Tacito hist. 1, 37 *iam plus rapuit Icelus, quam quod Polycliti et Vatinii* et *Aegiali praeierunt.*

2) 5, 8, 4 ubi quod Bern. m. 1 habet *athenensim* natum est ex scriptura *athensim* una syllaba perperam duplicata; cf. 8, 1 damn. 8 LA *omansum* pro *omasum,* 7, 2 ext. 1 L¹ *subsensor* pro *subsessor,* de qua scribendi ratione v. praeter alios librum Schuchardtii, Vocalismus des Vulgärlateins I p. 112.

Ptolomaeus (non *Ptolemaeus*), *Sardanapallus* (non *Sardanapalus*). Iure igitur nunc Kempf e codd. LA edidit *Cephalania* 1, 8 ext. 18 pro ea forma, quam et ipse olim et Halm praetulerant *Cephalenia:* illa enim pluribus iisque vetustissimis testibus fulcitur, velut codex antiquissimus Vindobonensis Livii 42, 37, 3 et c. 48, 9 *cepallania* quamvis perverse et omissa aspiratione et duplicata *l* littera habet, ut recte Hertz et Weissenborn *Cephal.* contra Madvigium ediderint; etiam in quarta decade Livii ubique fere scriptura per *a* bonos libros obtinet, v. Weissenbornium comm. ad 36, 12, 9, unde Hertz non debuit 'tironum gratia', ut ipsius verbis utar, alteram formam intrudere nec Iahn Liv. ep. 38 contra Nazariani lectionem *cefallaniam;* Mela 2, 110 Frick ex optimis codd. *Cephallania* scripsit, Plin. 4, 54 et 55 Detlefsen *Cephalania,* nec aliter Itin. Anton. 519, 1 et 524, 2; denique Flor. 2, 9, 4 codd. Bamb. et Naz. discrepant, illius *Cephallaniam* Halm, huius *Cephaleniam* Iahn secutus est.[1]) — Marsorum bello sociali ducem codices Valerii 3, 1, 2 *Poppedius* scribunt, ut Flori 3, 18 (p. 83, 16 Iahn), Vellei 2, 16 et Orosii 5, 18, 25 *Popaedius,* auct. v. ill. 63, 2 et 80, 1 *Popedius,* Livii epit. 76 *Poppaedius:* graeci contra scriptores Πομπαίδιον vocant, ut videtur, Plut. Cat. min. 2, App. b. c. 1, 40. 44. 47. Diod. Sic. 37, 2. Strab. p. 241 ed. Casaub., Ioseph. 19, 1, 5 quod tamen adducere non debuit Iahnium, ut in Livii epitoma et Floro *Pompaedius* ederet contra codicum auctoritatem, qui latini saltem *m* litteram non agnoscunt.[2]) — Nobilis quidam Saguntinus *Indibilis* audit, si optimis codicibus credere fas est, non *Indebilis:* illam scripturam Bernensis Valerii 4, 3, 1 prima manu habet, habet antiquissimus codex Puteaneus Livii octies 26, 49, 11. 27, 17, 2. 19, 7. 28, 24, 3. 31, 5. 34, 8. 36, 1. 29, 1, 19 (quinquies 22, 21, 3. 25, 34, 6. 7. 27, 17, 10. 29, 2, 14 *indebilis*), habent codices Silii 16, 564 *Indĭbilis,* Diodori 26, 22 Ἰνδιβέλης, Appiani Ib. 37 et 38 Ἰνδίβιλις, Dionis Cassii fr. 57, 42 Ἰνδίβολις. Accedit quod simile nomen Hispani hominis legitur Liv. 43, 5, 1 *Cincibilis,* urbis *Intibili* (23, 49, 12). Quare non probaverim novissimum Livii editorem Luchsium *Indebilis* revocantem.[3])

---

1) Minus accurate Georges, Lexicon der lat. Wortformen s. v. *Cephalania,* diversas scripturas enarravit.

2) Non vidi quae Zangemeister C. I. L. IX p. 633 de ea re disputasse dicitur.

3) Oblata occasione moneo uxoris Syphacis nomen perperam vel ab hominibus litteratis hodie quoque dici solere *Sophonisbam* scriptura pervulgata ex tragoediis ita inscriptis Caspari de Lohenstein, Emanuelis Geibelii, Roberti Proelssii. Livii optimus liber Puteaneus 30, 15, 6 *Sophoniba* exhibet, ib. c. 12, 11 *Sophoniba* m. 2, *Sophonibusa* m. 1, littera *b* pro sigla terminationis *bus* intempestive accepta (cf. Verg. Aen. 11, 572 Pal. *nutribus at* pro *nutribat,* Liv. 30, 42, 12 codd. recc. *factionibus archinae* pro *factioni Barcinae,* ib. 12, 11 cod. H: *intrantibus estibulum* pro *intranti bestibulum* i. e. *vestibulum;* cf. quae dixi de eo errore quaestt. critt. p. 43). Nec aliter Nazarianus codex Livii ep. 30 (Iahn tamen *Sophonisbam* edidit) et libri Appiani Pun. 27 sq. Σοφωνίβας, Diodoro 27, 10 Σοφόνβα

7, 7, 6 Kempf *praetore urbis* reliquit cum codd. LA[1] *(p. r. urbis)*; margo A e Paride sumptum habet *praetore urbano* eamque appellationem unice veram et nonnisi inscitia librariorum perverse notas explicantium hic illic corruptam isto modo esse dudum Mommsen demonstravit 'Röm. Staatsrecht' II p. 177 n. 1 titulis, qui perscriptam vocem exhibent, raris sed certis, ut S. C. de Bacchan. l. 8. 17. 21. Idem recte contempsit Bambergensis codicis Liviani 31, 4, 2 et 32, 31, 6 scripturam (nam Ciceronis loco quem affert Verr. 1, 55, 143 Iordan falso e Vaticano rescripto praetorem *urbis* enotavit). Puteanei quoque lectio *urbis* Liv. 25, 1, 11 et 27, 4, 4 vulgo hodie corrigitur in tanta frequentia locorum, ubi adiectivum *urbanus* praebet. Sed Cic. Phil. 10, 3, 7 Halm et recentissimus editor C. F. W. Müller reliquerunt *urbis*, Vaticani solius auctoritate nixi (nam in reliquis libris fere *p. r. urbanus* legitur), reliquit etiam Od. Müller Varr. l. l. 6, 54, ubi codices mire casibus variant *p. r. urbis* s. *urbe* s. *urbem* habentes: vel hinc aestimes, quantum momenti libris in talibus tribuendum sit; etiam in Puteaneo Livii 25, 12, 3 et 27, 22, 12 invenitur *praetor urbem*, et hoc vel *praetor urbis* creberrime in codd. dett., ubi boni libri *praetorem urbanum* monstrant, Valerii codd. mell. proxima § vel *praetorem urbani* novarunt, sed reliquis locis rectum praebent (1, 1, 12. 9, 7, 4 cet.). — In seqq. *Genucium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus neque virorum neque mulierum numero haberi debere* communi usu certe *sua ipsius sponte* requiritur.

7, 7, 7 *multo Q. Metellus praetorem urbanum severiorem egit, quam Orestes gesserat.* Extremum verbum Novákium offendit, ut *egerat* scribendum duceret. At eodem tum modo emendandi sunt duo alii loci Valeriani 4, 1, 4 *age, L. Quintius Cincinnatus qualem consulem gessit!* et 9, 1, 9 *eodem deinde animo civem gerens, quo patrem egerat,* ubi habes eandem quam supra verborum *agendi* et *gerendi* variationem; quam non tulit, qui in margine libri Bernensis ascripsit *gesserat*, sed Valerio maxime dilectam ostendit etiam 4, 1, 6 *paene tantum se in recusandis honoribus gessit, quantum egerat in emerendis,* similiter 4, 2, 2 *ne pertinacem exhibendo inimicum malum consulem ageret.* Ceterum *gerendi* verbum ita primus Valerius posuisse videtur; lexica nostratia ex multo inferioris aetatis scriptoribus Claudiano, Iustino, Apuleio exempla habent.

8, 1 abs. 12 (de Calidio Bononiensi in cubiculo mariti depreuso amorem servi defendente) *sed crimen libidinis confessio intemperantiae liberavit.* Insolenter hoc dictum est pro *crimine cum libidinis ... liberavit* idque ipsum mavult Kempf, similiter Gertz *in crimine lib.* Parem tamen brevitatem loquendi Tacitum sibi sumpsisse video hist. 2, 60 de Vitellio scribentem *credidit de perfidia et fidem absolvit,* i. e.

---

vocatur, Dioni Cassio fr. 57, 73 et Zonarae 9, 13 Σοφωνίς. Nullam igitur auctoritatem habet scriptura *Sophonisba* nisi deteriorum librorum Livii.

absolvit Suetonium Paulinum et Licinium Proculum fidei crimine (1, 59 *fidei crimine damnatos,* ann. 1, 58 *ut me perfidia exsolvam),* quam Othoni praestiterant: sic enim haec interpretanda sunt. Etiam Gellius n. a. 12, 7, 7 *sic neque absolutum mulieris veneficium est neque* cet.

8, 4, 2 *contra P. Atinii servus Alexander, cum in [hanc] suspicionem C. Flavii equitis Romani occisi venisset, sexies tortus pernegavit ei se culpae adfinem fuisse, sed perinde atque confessus esset, a iudicibus damnatus et a L. Calpurnio triumviro in crucem actus est.* Ineptum pronomen *hanc* vulgo tollunt nec explicant quo consilio additum a librario iudicandum sit. Quae vox quod a Paride abest, levis momenti esse quivis concedet. Mihi latere videtur *inanem* vitiumque ortum esse ex scriptura *inhanē* semel exarata *in* syllaba. — In seqq. verbis *adfinem fuisse* tempus perfectum iure offendit Halmium. Is se malle *esse* adnotat, et certe sic Valerius 3, 7, 8 *Aemilius Scaurus huic se adfinem esse culpae negat.* Cf. tamen Tac. ann. 6, 8 *qui novissimi consilii expertes fuimus* et Curt. 6, 11 (43), 23 *consilium, cuius patrem expertem fuisse nisi crederent* cet.

8, 5, 3 *L. quoque Crassus, tantus apud iudices, quantus apud patres conscriptos Aemilius Scaurus — namque eorum suffragia felicissimis eloquentiae stipendiis regebat eratque sic fori, ut ille curiae princeps — cum vehementissimum testimonii fulmen in M. Marcellum reum iniecisset, impetu gravis, exitu vanus apparuit.* Quod Georges (Phil. 1873 p. 540) *testis* post *tantus* addendum censet, non necessarium videbitur comparanti similes locos 4, 1, 6 *paene tantum se in recusandis honoribus gessit, quantum egerat in emerendis,* 6, 4 ext. 3 *quantus hic in sapientia, tantus in armis Alexander illam vocem nobiliter edidit,* etiam 8, 14, 4 *et quantus postea ne minimum quidem gloriae vestigium contempsit,* ubi sanum videtur *quantus,* utcumque de reliqua oratione conformanda iudicatur. Quo nomine nec Gertzium probamus, quod 8, 7, 6 in his verbis *si praediorum potius quam ingenii culturae vacasset, dominus rei familiaris intra penates mansisset, non tantus Anaxagoras ad eos redisset* vocem *tantus* delendum censet, quae Valerianae locutioni maxime convenit ('als ein so grofser Mann'). Si quidquam ibi, suspectum est commune subiectum *Anaxagoras* longius reiectum, qui tamen usus exemplis non prorsus caret.

8, 6, 1 *C. Licinius . . . a praetore postulavit, ut patri suo bonis tamquam ea dissipanti interdiceretur, et quidem quod petierat impetravit, sed ipse parvo post tempore mortuo sene amplam ab eo relictam pecuniam festinanter consumpsit. a vicissitudine poenae afuit, quoniam hereditatem absumere quam heredem maluit tollere.* Sic leni correctura *afuit* pro *fuit* scribendo Halm sententiam restituit, quae unice satisfacit loco, hanc: vicissitudine poenae, h. e. ut ipsi quoque a filio ut patri a se bonis interdiceretur, Licinius caruit, cum ipse hereditatem consumere quam filium heredem futurum suscipere: hoc enim esse *heredem tollere* Torrenius recte iudicavit potuitque contra Pighium

alere, Colerum *tolerare* praeferentes advocare verba Iuvenalis 6, 38 *tollere dulcem cogitat heredem.* Quid apertius hac sententia? Ac tamen Kraffert nuper progr. Verdensi 1888 p. 7 *quoniam ⟨populus heredem⟩ hereditatem absumere . . . maluit* proposuit explicans: 'das giebt den natürlichen Sinn: man sah es lieber, dafs der legitime Erbe sein Gut durchbringe, als dafs man ihm sein Recht entzogen hätte.' Oraculis dignam sententiam!

8, 11 praef. *effectus etiam artium †recognosci posse aliquid adferre voluptatis protinusque quam utiliter excogitatae sint patebit* cet. Corrupta verba simplicissima ratione emendat Gertz, scribendo *recogno⟨scere⟩ scio posse aliquid adferre* cet.; possis etiam *recogno⟨sse⟩ scio,* ut est 6, 3 ext. 1 *externa summatim cognosse fastidio non sit,* aut *recogn⟨it⟩os scio,* ut similiter praefatur Valerius 5, 9 *sed ut hanc incitatam et asperam severitatem mitiores relati patrum mores clementiae suae mixtura temperent, exactae poenae concessa venia iungatur* et 7, 5 *campi quoque repraesentata condicio ambitiosam ingredientes viam ad fortius sustinendos parum prosperos comitiorum eventus utiliter instruxerit* et 6, 9 *multum animis hominum et fiduciae adicere et sollicitudinis detrahere potest morum ac fortunae in claris viris recognita mutatio.*[1] Hic locus illud quoque docet, quam anceps sit eo loco, quem tractamus, *posse* attemptare, sicut fecere Wensky (nov. ann. phil. 1884 p. 791) *recognosci per se aliquid adferet volupt.* et Kempf (ib. 1886 p. 61) *recognosse aliquid adferet v.* deleto *posse.* Quo nomine apte comparaveris etiam quae praefationis loco verba fecit Valerius 1, 6 ext. 1 *adtingam igitur externa, quae Latinis litteris inserta, ut auctoritatis minus habent, ita aliquid gratae varietatis adferre possunt,* iisdem fere verbis atque eo, de quo agitur, loco.

8, 11, 5 *ceterum natura, quem ad modum saepe numero aemulam virium suarum artem esse patitur, ita aliquando inritam fesso labore dimittit.* Non iniuria haesit Kempf in verbis *fesso labore* et *fessam l.* legendum coniecit. Potius ut mutatis duarum vocum terminationibus scribatur *inrito fessam labore* suadet locus consimilis 7, 3, 6 *dum adulescentis dextera inrito se labore fatigat.*

9, 2, 1 *en quibus actis felicitatis nomen adserendum putavit* (Sulla)! Quod Pighius vulgarem loquendi morem secutus cum dett. codd. edidit: *Felicis,* Kempf reiecit collato loco, qui est 9, 11, 1 *vicum cognomine sceleris commaculavit* (Livius 1, 48, 7 *sceleratum vicum vocant* cet.). Poterat propioribus exemplis codicum meliorum lectionem firmare, si quidem de Rutilio cum Sulla collato 6, 4, 4 *quapropter felicitatis cognomen iustius quis moribus gravissimi viri quam impotentis armis adsignarit* libris bonis testibus (nam in cod. Cauchiano Pighii *Felicis* rursus correctum est), de Phocione 3, 8 ext. 1 *mores Phocionis, quos optime consensus omnium bonitatis cognomine*

1) Apparet, quam soloece Halm *recognoscendi possunt aliquid adf.* cet. scripserit, quod debuit *recogniti.*

decorandos censuit (Cornelius Nepos Phoc. 1, 1 *ex quo cognomine Bonus est appellatus,* verso ex graeco ὁ χρηστός). Itaque sic censemus hos locos inter se satis tutari. Praeterea autem dubitatio illa restat, num eo loco, quem tractamus, *cognomen* pro *nomen* reponendum sit, ut est tribus locis proxime ascriptis correctumque in dett. codd. In qua causa examinanda praeterquam quod eodem modo 6, 9, 12 *Crasso pecuniae magnitudo Locupletis nomen dedit,* illud quoque attendas velim a Vergilio et Tacito contrarie *cognomen* pro *nomen* interdum poni, ut Verg. Aen. 1, 267 *Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,* 7, 671 *fratris Tiburti dictam cognomine gentem* (ubi notabilis est interpolatio codicis Palatini: *dictam de nomine g.*), Tac. ann. 4, 65 *montem antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse,* 13, 39 *validissimum castellum cognomento Volandum:* plura exempla post Nipperdeium ad ann. 1, 23 congessit nuper Nettleship in commentationibus Woelfflinianis p. 185 sqq., qui quidem nobis non persuasit *cognomen* ubique propriam notionem retinere. Itaque illud quoque ambiguum nobis est, quam recte Kempf loco Valerii 1, 5, 9 *montem, cui Leto cognomen erat,* scribendum *nomen* iusserit, deletis litteris *cog* tamquam ex proximis *to* ortis, idque eo magis, quod idem 3, 4, 3 scripsit *statuae ipsius titulus abunde testatur servili cognomine* (SER. TVLLIVS) *et regia appellatione* (REX) *perplexis,* qui duo loci Nettleshipii diligentiam fugerunt.

9, 3, 2 *nam quis populo Romano irasci sapienter potest?* Mire adverbium *sapienter* poni iure Wensky coni. p. XVI monuit. Itaque *sapiens* rescribi iussit coll. 9, 13 ext. 1 *quis enim mediocriter prudens mortalem se natum fleverit?* Potuit quod propius accedit exemplum sumere ex praefatione *quis compos mentis domesticae peregrinaeque historiae seriem felici superiorum stilo conditam . . . praestantiore facundia traditurum se speraverit?* At praeterquam quod satis violenter adverbium adiectivo mutatur, iidem illi loci pravam Wenskyanae scripturae collocationem verborum coarguunt, si quidem exspectatur: *quis sapiens* vel *quis mediocriter sapiens,* quo modo similiter loquitur etiam Tacitus ann. 4, 11 *quis mediocri prudentia, nedum Tiberius, inaudito filio exitium offerret,* Cicero fin. 3, 1, 3 *quod quidem nemo*[1]) *mediocriter doctus mirabitur,* Tusc. 2, 7 *quid enim dicant et quid sentiant ii, nemo* ⟨*ne*⟩[2]) *mediocriter quidem doctus ignorat.* Itaque videndum est, ne huc quadret id dicendi genus, quo adverbium verbo additum non tam modum ipsius actionis significat quam aliquod de actione iudicium, velut cum dicit Seneca ben. 7, 28, 3 *inique publico crimini irasceris,* hoc est: inique facis quod crimini omnium hominum communi irasceris, quem usum exemplorum

1) Ubi Madvig Ernestium *nemo* ⟨*nec*⟩ s. ⟨*vel*⟩ *mediocriter doctus* requiri opinantem redarguens potuit apte comparare praeter eos, quos laudat, locos Taciteum et Valerianum (9, 13 ext. 1).

2) Aut hoc inserendum, quod vulgo fit, aut *quidem* abiciendum: sed illud artis leges magis suadent.

larga copia explanavit Madvig adn. ad Cic. fin. 4, 23, 63 et adv. crit. II p. 507. Simili brevitate nostra sermone reddi possunt verba Valerii sic: '*wer kann dem römischen Volke verständigerweise zürnen*', idque unum a communi usu recedit pauloque durius est, quod in negativa sententia adverbium ponitur, similiter ac Val. 5, 5, 3 *his scio equidem nullum aliud quam Castoris et Pollucis specimen consanguineae caritatis convenienter adici posse.*

9, 3, 6 *negas efficacem esse iram, cuius hortatu miles summo imperio praelatus est?* Pro *negas*, quod vulgatur, in L A[1] *negat* scriptum extat. Paulo plus recedit a codicibus *neget ⟨aliquis⟩ efficacem* cet., sed usu Valeriano commendatur, cf. 5, 2, 3 *elevet aliquis praemia virtutis, cum animadvertat fortes viros felicius sepeliri quam vivere ignavos,* 8, 13, 5 *hunc caecum aliquis nominet, a quo patria quod honestum erat per se parum cernens coacta est pervidere.*

9, 12, 3 *M'. Iuventius Thalna consul, cum in Corsica, quam nuper subegerat, sacrificaret, receptis litteris decretas ei a senatu supplicationes nuntiantibus . . . mortuus humi iacuit . . . En cui Numantia aut Karthago excidenda traderetur.* Notandus in his singularis verbi *recipere* usus (alibi Valerius *accipere litteras* dicit: 2, 7, 15. 3, 2 ext. 1. 3, 8, 1), cuius certa exempla duo novi Plinii minoris pan. 5, 12, 1 *recepi literas tuas,* 9, 28, 1 *post longum tempus epistulas tuas, sed tres pariter recepi,* unum Frontonis p. 220 N. *modo recepi epistulam tuam:* nam Cic. Att. 12, 37, 1 Baiter et Wesenberg lectionem marginis edit. Cratandrinae et Tornaesiani codicis *accepi* praetulerunt Medicei scripturae *recepi.* Agnoscendum autem videtur eius usus principium, qui deinde latius patuit in Francogallorum sermone *(recevoir).* — In fine *excindenda* iniuria Kempf edidit damnata codicum lectione Halmio auctore, qui em. Val. p. 32 haec disputavit: 'certus videtur atque constans sermonis Latini usus, ut urbes, gentes, castra aliaque loca non *excidi,* sed *excindi* dicuntur.' Vereor ut Halmium secuturus fuerit vir doctus, si scivisset, quam innumeris locis tum eadem correctio adhibenda esset et in monumento Ancyrano 1, 15 Mms. ex novissima Domaszewskii collatione certo extare *exteras gentes conservare quam excidere malui,* quod monui primus quaestt. Liv. p. 87 sq., ubi addere licet praeter locum Valerianum hos qui tunc me fugerant: Cic. p. Pis. 40, 96 *Epirus excisa,* Fronto princ. hist. p. 208 N. *excidendorum castellorum,* Frontin. strat. 1, 1, 9 *Hasdrubalem copiasque eius excidi,* Amm. Marc. 16, 3, 1 *Agrippinam excisam,* 19, 6, 4 *urbe excisa,* 25, 4, 24 *urbes excisas,* 31, 5, 17 *excisa est Philippopolis,* Luc. Sept. eph. b. Troi. 3, 16 *excisuros urbem* et 4, 20 *excisa moenia.*

Venio nunc ad Valerii epitomatores. Qui ubicunque aliquid momenti ad Valerii ipsius verba constituenda habere videbantur, suis locis iam monuimus: nunc in textum ipsorum inquirere in animo est. Ac *Paridis* quidem breviarium ad crisin Valerianam altero longe

utilius et in universum probe traditum unico[1]) libro Vaticano saec. X Kempfio emendatius iam exhibere licuit secundum et curas criticas multorum doctorum et novam codicis collationem, quam H. Kruse a. 1871 Romae confecit. Cuius collationis fructus suo iure editor praef. XVI laudavit, qua quidem plurimis locis aut singula aut plura verba, quae a Maio et Halmio nescio quo pacto omissa erant, recuperata sunt, multo pluribus locis lectiones egregiae et Valerio ipsi quoque emendando utiles repertae sunt. Et longe nobis sit eius curae laudem elevare: nihilo minus, ut ferme fit in talibus, spicilegio instituto aliquid lucri factum est. Abhinc enim paucis annis *Augustus Mau,* vir codicum legendorum peritissimus, librum Vaticanum totum denuo excussit, mira, quantum ex comparatione colligere nobis licet, diligentia. Quam collationem *Carolus Dilthey,* professor Gottingensis, quo auctore facta est, roganti mihi unica liberalitate utendam permisit, pro quo beneficio viro egregio hoc quoque loci gratias ago quam maximas.

Ut a notabilioribus rebus orthographicis[2]) incipiamus, accedit ex Mauii collatione novum testimonium cognominis *Galus* gentis Sulpiciae: nam 8, 11, 1 codex prima manu exhibet *Galus* (secunda *Gallus* effecit, ut est in Valerii codd.), quam formam[3]) unice veram esse Mommsen mus. Rhen. XVI p. 355 docuit coll. fast. Capitol. a. 588. Porro *Messala* una *l* contra Lachmanni praeceptum in codice teste Mauio extat 2, 9, 9, ut semper in Valerii codd. (v. Kempf ad Val. 2, 4, 2); 7, 4, 1 *mettum fufetium,* non *metum f.;* 8, 6, 2 *pilleum* duabus *l* constanti ratione codicis (5, 2, 5 *pilleata,* 6, 5, 7 *pilleatum,* item Valerii codd.); 4, 5, 5 *Larisam* m. 2 (ex *lassam*) restituit, quod verius est quam *larissam;* 5, 1, 1 et 6, 4, 3 *Ptolemaeus* (cf. Kempf ad Val. 1, 8, 9 et praef. V sq.); 7, 3, 3 *condicionem* (ut 3, 2 ext. 9 et 5, 6 ext. 4), non per *t;* 2, 7, 11 *bracchia,* non *brachia;* 2, 2, 2

1) Ad irritum enim spes cecidit, quam Delisle (bibl. de l'école des chartes t. XXXI p. 34) de codice Parisino n. 16030 'du fonds latin' (Sorbon.) fecerat: percontanti mihi responsum est illo codice Valerium ipsum et librum 'de praenominibus' contineri.

2) In quibus praestantia codicis non semel cernitur. Velut 1, 1, 4 probam formam *flamonium* servavit, quae et in Valerii textum, ubi accessit nuper codicis L auctoritas, et in Paridis utique recipienda erat (v. supra p. 590); etiam *creterra* 1, 1 ext. 4, quam priscam scripturam et Naevio et Varroni et Ciceroni teste Nonio p. 547 usurpatam et a Paulo Fest. 53, 10 exhibitam (etiam Hor. carm. 3, 18, 7 Porphyrio et codd. permulti, sat. 2, 4, 80 Blandin. vetust. eandem tuentur: iure Hertz recepit) miror spretam esse ab Halmio et Kempfio, quorum ille cum Maio vulgarem formam *crateram* reposuit, hic ex schedula Bernensi libro praefixa, qua Paridis pauca continentur, *creteram,* quod nihil est.

3) Codices boni plurimis locis eam formam aut ipsam aut leniter depravatam exhibent, unde recte introduxerunt recentiores editores Cic. sen. § 49 (cod. Paris. m. 1 *Galum*), Lael. § 9 (codd. *Gaium*) et § 21 (*Gaios* codd.), fam. 4, 6, 1 (Med. *Galum*). Etiam Liv. 45, 27, 6 in antiquissimo Vindobonensi *Galo* scriptum est et in per. Liv. 49 (p. 54, 7 ed. Iahn) in codicis Nazariani lectione *sulpicati* vestigium veri (*Sulpici Gali*) remansit.

unquam, non *umquam;* 1, 7 ext. 1 *quidquid*, non *quicquid;* 2, 1, 4 *quinquagensimum* per *n* (corr. ex *quinquagensimam*), ut semper fere m. 1. Quod ad flexum vocum attinet, 5, 1, 9 codex *Tigranen* (non *Tigranem*, ut Valerii codd.) exhibet, ut legitur Val. 9, 11 ext. 3; denique 1, 8, 11 manu 1 codex *aedis* (non *aedes*) habet, quae forma nominativi etiam c. 4, 5 in Paridis codice extat.

Reliquas lectiones, quae quidem notabiles visae sunt ex Mauii collatione, locorum ordine persequimur, ita ut quaecunque ad crisin libri Paridis maxime faciunt aut etiam in verborum ordinem recipienda videntur, stellula praefixa significentur, quae autem cum Halmii aut Kempfii notis consentiunt (in adnot. crit. ad Valerium, id quod paucis locis accidit), eorum virorum nominibus additis notentur.

1, 1, 21 *p̄'leminius* (pro *Pleminius*); 1 ext. 7 *quamvis marmore* manu 1, *quamdiu m.* m. 2; 2 ext. 2 *fye* pro *Phye* (Halm); *2 ext. 3 *gravissimę* enotat Kempf, contra Mau disertis verbis testatur in codice esse *gravissimae*, *e* in ras., nec videri fuisse *s* ante ras., quod ille monet contra Halmii coniecturam *gravissimas*. Ceterum nobis Kempf codicis lectionem *gravissimae civitati Lacedaemoniorum* recte tueri videtur locis Ciceronis rep. 1, 3, 5 et Val. 2, 6, 1. Adde Val. 5, 3 ext. 2 (de Lacedaemone) *illa, quae gravitatis eximiam sibi laudem vindicat.* — 4, 1 *alias*, sed *s* in ras. m. 1 est; 4, 7 *mulcata* (ante *fugit*) post additum est, cum m. 1 spatium reliquisset; 5, 4 *sede cedo* (ut est apud Val.); 6, 11 *p̄cipia* (non *pcipia*); 8, 4 *atq.; artum* m. 1; 8, 10 *Eubo*cae.*

*2, 4, 5 *morbo liberati sunt*, non *morte:* illud haud dubie verum, cf. Valerii verba *diutina vi morbi repente sunt liberati;* 5, 4 *pudore* m. 1, *pudorē* m. 2, item c. 6, 16 *amissionē* m. 2; *7, 15 *ex his, qui equo meruerant*, non *iis:* cf. 2, 2, 5 *de his, quae passi erant;* 2, 7, 1 *ex his, quae voluptatis causa comparata erant;* 6, 3, 7 *de his, qui sacris inceste usi fuerant,* 7, 3, 3 *ex his iuvenibus, quos secum habebat,* 7, 4 ext. 2 *ab his, quos in insidiis collocaverat* (Halm his locis plane ex libidine modo *his* modo *iis* scripsit. cf. etiam Kempfium praef. VII).

3, 2, 14 *transfodit* ex *transfudit* corr. m. 1; *2, 24 ea ipsa distinctio *(XIIII cives servavit ex proelio: XLV vulnera pectore excepit)*, quam Gertzii suasu Kempf instituit in editione, in codice notata extat; 3, 4 *Nicocreonte* corr. m. 2; 4, 1 *tullii hostilii*, non *tulli h.;* 7, 3 *Curatius* (pro *Curiatius*).

4, 1, 1 *populorum mittens* m. 1 (Halm), *populum mittens* m. 2; 2, 6 *C. Annius*, non *Caninius* (Halm et Kempf); 3, 1 *indevili* pro *Indebili* (Halm et Kempf); 4, 6 *Papinia*, non *Pupinia* (Halm et Kempf); 4, 10 *expedire* pro *expediri* (Halm), ib. *dos* corr. e *domus;* *5, 5 in mg. m. 2 add. *acie* ad vocem *Palaepharsali*, post quam cum rasura 2—3 litterarum appareat teste Mauio, fortasse *Palaepharsali acie (victus)* scribendum (cf. Val. *Pharsalica acie victus):* nam localis

casus, pro quo *apud* praepositionem expectes, fortasse graeco exemplo positus nihil offensionis habet et in eodem urbe sic habetur Auct. b. Al. 48, 1 et Frontin. strat. 2, 3, 22 (cf. Val. 5, 3, 3 = p. 240, 14 Kempf *post CCC milia Persarum Marathone devicta*). — 5 ext. 1 *confodit*, non *confudit* (Halm et Kempf).

*5, 1, 1 *obvium illi Scipionem ire iussit*, non *obviam:* illud etiam Mai edidit; *1 ext. 2 *postera die*, (non *postero*), ut 7, 2 ext. 17 (Valerii codd. utroque loco *postero*); 3, 4 *imperatisque*, non *impetratisque*.

6, 3, 4 ante *prima* erasum est *in;* ib. *non* add. m. 2 ante *respondente* (Halm); 4, 3 *dixitq. se* ante rasuram, ut videtur (Halm).

7, 4 ext. 2 *equites* (post *CCC*) post add. in spatio vacuo; *6, 3 non simplex *X* (ante *CC*) in codice est, sed cum linea transversa per mediam notam ducta, de qua collator adnotavit 'ist doch wohl Denarzeichen', quod etiam Gertz apud Kempfium sensit; 7, 1 *C. V.* (non *CV*) = *centumviros;* 7, 4 *subsit* m. 1, *nupsit* m. 2; *7, 5 *praefectus urb.*, non *urbis;* ib. *adulescenti*, non *adulescentis;* 8, 9 *ex* ante *adsistentibus* non apparet in codice teste Mauio.

*8, 1 abs. 9 *A. Atilium*, non *M. At.;* 2, 2 non omissum est *milia* post *CCC*, ut Kempf enotat, sed transversa linea supra *CCC* scripta est, quae idem valet; 5, 4 *M. Lepidus*, non *M'. Lep.;* *8 ext. 1 in codice primitus erat *uisus*, deinde eadem manu *r* supra *u* scriptum puncto supposito deleta *u*, ut fieret *risus*, ut Valerii codd. habent; 9, 2 *Atheniensis* m. 2; 12, 1 *praediatorio*, litteris *dia* statim rursus deletis; 15, 6 *isaiam* m. 1, *asiam* m. 2.

9, 2, 4 *quod studiosiores* m. 1, corr. eadem m. *quos s.;* 2 ext. 3 post *occidi* est rasura 3—4 litt.; *2 ext. 6 *psis* (*Persis*) supra *obstrictus* scriptum est m. 2; *3, 2 *omnes dimisit* suprascr. m. 2; *4, 3 *L. Septimuleius* (*L.* om. omnes adhuc editores); *6, 3 *nave*, suprascr. m. 2 (sic Mai); 7, 4 *urb//anum;* *12, 4 *Q. Catulus* (*Q.* om. omnes adhuc editores); 13, 3 *D.* ante *Brutus* in ras. est; 14, 2 *menogeni* m. 1 (non *monogeni*).

Alterum subsidium, quo purgatius edere Paridis breviarium nupero editori licuit, constat curis criticis maxime Buschii Eberhardii Gertzii Novákii nec non ipsius, qui quidem post Maium et Halmium et suo ingenio et Valerio adhibito (sicut hic rursus ex illo corrigi solet) certatim correxerunt nec sine fructu.[1]) Quo tamen studio haud raro ita aberrasse nobis videntur, ut scriptoris ipsius stilum inutiliter castigarent, praesumpta opinione, tamquam Ciceronis aut alterius limati scriptoris oratio ac non posterius genus dicendi ageretur aut tamquam quacunque in re Paridem cum Valerii verbis congruere necesse esset. Cuius rei supra iam p. 614 sq. occasione oblata exempla pauca posuimus, tuentes *repromittendi* et *fundendi* verborum singula-

1) Velut egregie correxit Gertz 3, 5, 4 *Corbio oris* (cod. *corporis*). Etiam 4, 4, 6 *publice* ⟨*eius*⟩ *rerum curam agi iussit* (cod. *rerum cum magis i.*) Kempf in verborum ordinem recipere debuit; cf. 8, 10, 3 *Cicero utriusque rei curam egit*.

rem usum et πλεονασμόν, qui inest in copulatione *magis malle*. Nunc aliam seriem audi locutionum, quae eo nomine immerito sollicitantur et ex parte etiam bonos scriptores decent.

1, 4 ext. 1 in verbis *cum rex Alexander ... polenta futurae urbis liniamenta deduxisset* Kempf dubitat an recte Pighius *duxisset* correxerit. At eodem modo iam Ps.-Ovidius her. 16 (17), 88 *deducta mero litera,* Cassiod. de inst. div. litt. I p. 510 e (ed. Garet) *tamquam linea uno calamo deducta,* translate Sen. ep. 95, 72 *formam bonorum virorum et lineamenta deducere.*

1, 5, 9 *fortuitum vocis* (Letum) *prolatum leto suo confirmavit:* Kempf quaerit an *iactum* pro *prol.* e Valerio scribendum sit. Sed videtur potius Paris vocem *iactum* illa significatione raram mutasse voce suae aetatis hominibus magis perspicua. Quamquam autem *prolatus* ea, quae hic requiritur, notione prorsus pari exemplo caret (diversa sunt, quae Georges lex. lat.-germ. exhibet), tamen similiter Arnob. 3, 18 *prolatio* posuit. Si quid autem corrigendum est, malim *profatum,* cf. Sen. apoc. 7 *incerto vocis profatu,* Stat. silv. 5, 3, 103 *effreno profatu.*

1, 6, 10 *praesumpsit animo ea re significari exitium suum.* Sic codex m. 2 omnesque editores. Fortasse tamen retinendum est *exitium sui,* quod prima manu scriptum erat, cf. quae de hoc usu pronominis sequiore Nipperdey ad Tac. ann. 12, 27 disputavit.

1, 6, 12 *belli civilis die, quod inter C. Caesarem ac Pompeium fuit:* dubitat Kempf an *ultimo* ante *die* addendum sit. Nobis *bellum* videtur *aciem* significare, ut c. 7, 1 *delatus in bellum;* § 3 *cuius exercitus laboraret in bello;* 3, 2, 9 *bellum committere.*

1, 7 ext. 10 (mortui Arcadis species dicit) *corpus suum a copone trucidatum plaustro cum maxime ferri extra portam.* Mera ibi libidine *tum maxime* mutarunt Halm et Kempf, id quod fieri solet a criticis, ubicumque de praeterito tempore agitur, etiam Val. 3, 1, 2 contra codd. optimos. Cautius Gundermann Frontin. strat. 2, 9, 5 et 3, 4, 4 *cum maxime* retinuit. Cf. largam exemplorum copiam a Klotzio lex. lat. s. v. *magis* allatam.

1, 8, 6 (in oppugnanda urbe Thuriis) *Mars visus est per mediam hostium aciem ad contraria castra evasisse, quod eo fuit manifestius: nam cum cos. inter honorandos milites vallarem coronam proponeret* cet. Offendit particula *nam* Kempfium annotantem 'exspectes *quod*'. Sed quod Graecis perfamiliare est, ut in explicanda sententia, cuius tamquam praenuntia vox aliqua (hic *eo*) praecessit, γὰρ ponant (Kuehner, gramm. graec. § 754 β), idem nonnumquam apud Latinos fit, velut Livius 23, 7, 3 dicit *haec pacta; illa insuper quam quae pacta erant, facinora ediderunt: nam praefectos sociorum . . . plebs repente comprehensos . . . balneis includi iussit.* Plura dabit Draeger, hist. synt. II § 348, 2 (p. 155 ed. II).

2, 2, 5 *de his, quae passi erant, questi non sunt, ne quid ultra ac mandatum erat eloqueretur.* Gertz e Valerio rescribi iussit *loque-*

rentur, quod probat Kempf, prorsus praeter necessitatem in tali scriptore.

2, 7, 1 *P. Cornelius Scipio die, quo castra intravit, edixit* cet. Mavult Kempf ⟨*eodem*⟩ *die*, v. tamen Val. 1, 7, 2 *nocte, quam is ultimam in terris egit* (ubi Stanger coniecit *nocte* ⟨*ea*⟩), 1, 7, 1 *nocte, quam dies insecutus est;* 1, 8, 1 (p. 44, 10) *die, qui praeterierat.*

3, 2, 1 *atque ita:* v. infra p. 632 ad 9, 12 ext. 9.

